

1844

# SPIRITUS
## SANCTISSIMI PATRIS NOSTRI
# BENEDICTI
OMNIUM JUSTORUM SPIRITU PLENI,
ATQUE
CUNCTORUM MONACHORUM
PATRIARCHÆ
EX
SACRA IPSIUS REGULA, ET VITA, SS. PAGINIS VETERIS, ET NOVI TESTAMENTI, REGULA SANCTI BASILII, NEC NON COLLATIONIBUS, INSTITUTIS, VITIS, ET LIBRIS SANCTORUM CATHOLICORUM PATRUM
AD
MEDITANDUM PER SINGULOS ANNI DIES, FESTA, ET TEMPORA, OMNIBUS QUIDEM RELIGIOSIS, SED MAXIME MONACHIS SUB EJUSDEM ALMI PATRIS REGULA MILITANTIBUS PROPOSITUS
A
MONACHO ORDINIS S. BENEDICTI CONGREG. B. V. M. SINE LABE CONCEPTÆ.

## PARS IV.
COMPLECTENS MEDITATIONES A PRIMO OCTOBRIS USQUE AD PRIMUM JANUARII.

AUGUSTÆ VINDELICORUM
SUMPTIBUS MATTHÆI RIEGER, BIBLIOP. 1759.



# SPIRITUS SS. P. N. BENEDICTI.

# PARS QUARTA.

Continens Meditationes à primo Octobris usque ad 1. Januarii.

## OCTOBER.

## *DIES I.*

## PRO FESTO SS. ROSARII B. V. MARIÆ.

De puritate, compunctione, & intentione recitandi Rosarium B. V. M.

Cum omni puritatis devotione supplicandum est. Cap. 20. v. 2.

## PUNCTUM PRIMUM.

SI unquam preces ad mentem Ss. P. N. *cum omni puritatis devotione* persolvendæ sunt, sanè Rosarium hoc modô orandum est. Angelus sit in puritate, qui dignè cum Angelo B. V. Mariam salutare velit. Cogita singula verba salutationis Angelicæ, & inexhauribile omnium

ejus Excellentiarum mare deteges. Planè ſpecioſa laus tam ſpecioſæ Virginis in ore peccatoris eſſe nequit. Quomodò enim auſit puriſſimas Virginis perfectiones in ſalutatione angelicâ memorare, qui eas memorando ſe vitiîs plenum eſſe recordatur? Nónne mox ab initio in ſemetipſo confunditur? Rectè Jeremias hortatur, ut corda noſtra cum manibus levemus. Cor cum manibus levat, qui orationem ſuam purîs operibûs roborat. Si ergò dignè in Ss. Roſario B. Virginem cum Angelo ſalutare cupis, puritatem vitæ tibi ante omnia procura; ſecùs cum illo impuro juvene potum dulciſſimum in vaſe immundo offeres, quem tamen illa nunquàm guſtabit.

## PUNCTUM SECUNDUM.

ROſarium B. V. *in compunctione lachrymarum*, ùt ait Ss. P. N. quàm maximè recitandum eſt; quia myſteria vitæ, paſſionis, & gloriæ JEſu Chriſti in eo commemorantur. Sunt enim lachrymæ, quæ proveniunt ex gaudio Redemptionis. Sunt lachrymæ, quæ oriuntur ex compaſſione patientis Salvatoris. Sunt lachrymæ, quæ naſcuntur ex deſiderio participandi gloriæ Regis noſtri. Quantam igitur materiam lachrymarum habes in Ss. Roſario? Quàm acceptabilis erit ejusmodi oratio Filio, & Matri ejus? Planè ejusmodi Roſaria ſunt acceptiſſima, quæ nunquàm marceſcunt; ſunt longè vernis floribûs

bûs

bûs redolentiora, ut quæ non aquarum fontibûs, ſed lachrymarum imbre rigantur. Neque enim perinde omnium fontes floridos reddunt hortos ùt haſce roſas, ſalutationis angelicæ fontes lachrymarum ſuper Ss. myſteria vitæ, paſſionis, & gloriæ JEſu Chriſti irrigantes faciunt ad ſummam pulchritudinem excreſcere. Ritè hinc penſa myſteria Ss. Roſarii; nec lachrymis, nec fructu exauditionis carebis.

## PUNCTUM TERTIUM.

ROſarium B. V. *in intentione cordis*, prout Ss. Pater de oratione ſtatuit, præcipuè abſolvendum eſt. Quas enim intentiones ſupplicationis noſtræ non formemus; dum ultimam illam precationem ab Eccleſiâ ſalutationi angelicæ annexam, ſancta Maria Mater Dei &c. oraverimus? Omnia nobis poteſt & vult impetrare. Mater Filii Dei eſt; hinc omnia nobis exorare valet. Mater noſtra eſt; ideo omnia vult nobis à Filio ſuo obtinere. Ipſius enim bonitas, miſericordia, pietas, benignitas, clementia, fidelitas, benevolentia, & charitas erga homines tanta eſt, ut nullîs verbîs explicari poſſit. Unde & nullum tam execrabilem peccatorem orbis habet, quem ipſa abominetur, ſi toto corde cum verâ emendatione, & charitate ad eam confugerit. Quamdiu namque tempus gratiæ agitur, nequit benigniſſimos oculos ſuos

à miseris, ac pœnitentibus peccatoribus, se invocantibûs, avertere. Continuas enim pro eis fundit preces, & ùt Mater fidissima curam salutis eorum gerit. Citiùs cœlum cum terrâ perierit, quàm ipsa aliquem, seriò se implorantem, suâ ope destituat. O quantam spem salutis habes, dum devotè & in intentione cordis Rosarium B. V. recitas!

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergò, ô Religiose! Rosarium B. V. in puritate cordis oras? Mulier est amicta sole, ipsisque solis radiîs purior. An Rosarium B. V. in compunctione cordis absolvis? Nihil tam agglutinat Redemptori, ùt illæ lachrymæ, quas amor effundit. An Rosarium B. V. in intentione cordis recitas? In æternum perire non potest, quisquis illam devotè, & perseveranter colit, atque invocat. Dole, quòd tam tepidè hucusque Rosarium B. V. deblateraveris. Propone

1. Rosarium B. V. in puritate,
2. In compunctione,
3. In intentione cordis semper recitare.

**************************

## DIES II.

## PRO FESTO S. ANGELI CUSTODIS.

De

## De Angelorum Cuſtodiâ.

Ab Angelis nobis deputatis quotidiè die, noctúque Domino Factori noſtro opera noſtrá nunciantur. Cap. 7. Reg.

## PUNCTUM PRIMUM.

Quàm eximius cultor Ss. Angelorum Beatiſſimus Pater Noſter Benedictus fuerit, teſtantur illa ſacræ Regulæ ſuæ verba: *Ab Angelis nobis deputatis quotidiè die, noctúque Domino Factori noſtro opera noſtra nunciantur.* Híſce magnam ſuam erga Ss. Angelos Cuſtodes pandit reverentiam. Et meritò. Angelus ſiquidem in ſuâ creatione tantâ Deo conformitate unitus eſt, ut eſſet potiùs ſignaculum ſimilitudinis de quo formaretur homo quàm ſimile, vel ſignatum. Unde Ezechiel de ipſo dicit: Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ, & decore. Angelus enim eò ſimilior Deo eſt, quò purior, & tantummodò ſpiritus eſt. Tanta equidem eſt Sanctorum Angelorum claritas, & gloria, ut eam homo nec cogitare, minùs loqui poſſit. O quantam reverentiam nos habere oportet erga tam potentes cœli Principes! quantâ nobis ſolicitudine opus eſt, ut dignos nos exhibeamus eorum frequentiâ, ne fortè ſanctos eorum obtutus oſtendamus. Væ nobis! ſi quando provocati ingratâ noſtrâ præſentiæ ſuæ oblivione, aut peccatîs noſtris irritati

indignos nos judicaverint præsentiâ, & visitatione suâ. Ah! tum meritò cum Propheta plangemus; amici mei, & proximi mei adversùm me appropinquaverunt, & steterunt. Et qui juxta me erant, de longè steterunt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

## PUNCTUM SECUNDUM.

AB *Angelis nobis deputatis quotidiè die, noctúque Domino Factori nostro opera nostra nunciantur.* Quare? Quia amant nos propter Deum, propter nos, propter seipsos. Propter Deum, cujus tanta erga nos misericordiæ viscera ipsi quoque (uti dignum est) imitantur. Propter nos, in quibus nimirum propriæ similitudinis miserentur. Propter seipsos, quorum ordines instaurandos ex nobis totô desideriô præstolantur. Amant & præcipuè nos; quia nos Christus amavit. Eodem quippe Redemptore, quô nos, servatos se agnoscunt. Qui namque hominem erexit lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc à captivitate defendens. Hinc cùm ament Dominum, amant & juxta vulgare proverbium canem ejus. O beati Angeli! nos ergò catelli sumus Domini illius, quem tanto affectu diligitis, catelli, inquam, cupientes saturari de micis, quæ cadunt de mensâ Dominorum nostrorum, qui estis vos.

O quando tanto amore redamabimus vos, ſicut nos amatis?

## PUNCTUM TERTIUM.

AB *Angelis nobis deputatis quotidiè die, noctúque Domino Factori noſtro opera noſtra nunciantur.* Cur? *Ut* ampliorem ſemper gratiam nobis reportent. Nunquàm enim anima ſine Angelorum Cuſtodiâ eſt, qui eam æmulantur Dei æmulatione, ſoliciti ſuo viro ſervare, & virginem caſtam exhibere Chriſto. Ne dixeris in corde tuo; ubi ſunt? Quis eos vidit? Vidit eos Propheta Eliſæus, inſuper & fecit orando, ut videret etiam Giezi. Vidit Patriarcha Jacob, & ait: Caſtra Dei ſunt hæc. Vidit & Doctor Gentium, qui dicebat; nónne omnes adminiſtratorii ſpiritûs ſunt, miſſi in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis? Hinc talis anima angelicîs fulta miniſteriîs, & ſuperno ſtipata agmine incedens ſimilis eſt equitatui Domini, illi utique, qui quondam in curribus Pharaonis tam ſtupendo divini adjutorii miraculo triumphavit. Si enim diligenter advertas cuncta, quæ ibi miraris magnificè perpetrata, invenies hîc nihilominùs admiranda. Niſi quòd in eo nunc magnificentiùs triumphatur, quòd quæ illic corporaliter præceſſerunt, hîc ſpiritualiter adimplentur. Nónne enim magnificentiùs eſt Diabolum, quàm Pharaonen proſternere? Quid ergò timeas

ſub tam potenti cuſtodia? Si nihilominùs trepidas, aſcende cum juvene illo Monacho cellam Senioris, proſpice per ſiniſtram feneſtrellam, videbis quidem ingentem Dæmonum te impugnantium exercitum; at proſpice quoque per dextram, & cernes multò copioſiores Angelorum in tuum ſubſidium miſſas copias. Hac verò viſione confortatus cum juvene deſcende, ejusque fiduciam erga Cuſtodes Angelos imitare.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergò, ô Religioſe! revereris in omni loco S. Angelum Cuſtodem? Ne contemnendum putes; quia non dimittet, cùm peccaveris. An amas Angelum Cuſtodem? Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. An fiduciam habes in Angelo tuo Cuſtode? Quid videbis in Sunamitide niſi choros caſtrorum? Dole, quòd hucusque Angelo tuo Cuſtodi nec debitam reverentiam, amorem, & fiduciam exhibueris. Propone

1. Illum revereri in omni loco,
2. Illum amare,
3. In eum ſperare.

DIES III.

# PRO FESTO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

## De Oratorio.

Oratorium hoc ſit, quod dicitur. Cap. 52. v. 1.

## PUNCTUM PRIMUM.

MAgnam profectò ſacris locis habuit reverentiam Ss. Pater Noſter. Unde plura & ipſe conſtruxit. Hinc & præcipit: *Oratorium hoc ſit, quod dicitur: Nec ibi quicquam aliud geratur, aut condatur. Ut expleto opere Dei omnes cum ſummo ſilentio exeant, & agatur reverentia* Deo. *Ut qui ſimile opus non facit, non permittatur expleto opere* Dei *remorari in Oratorio*, ne videlicet illud ipſum nobis, quod olim Judæis, Chriſtus objicere poſſit; domus mea domus orationis eſt: Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Sancta quippe domus iſta eſt. Quis enim vereatur parietes ejus ſanctos dicere, quos manus ſacratæ Pontificum tantîs ſanctificavêre myſteriîs? Ex tunc quoque, & deinceps ſanctarum inibi lectionum reſultare frequentia, ſanctarum orationum devota murmurare ſuſſurria, ſanctarum reliquiarum honorari

beata

beata præſentia, Sanctorum Spirituum indeſeſſa noſcitur cuſtodia vigilare; imò Deus ipſe ſuîs adeſſe beneficiîs aperte monſtratur. O ſi Moyſes non potuit niſi ſolutis calceîs terram ſanctam calcare; quia ob temporalem Dei viſionem ſanctificata erat: quantâ putas reverentiâ in S. Eccleſiîs verſandum erit; quas ſemper inhabitat? Si Daniel ob reverentiam templi Jeroſolymitani in ſuâ captivitate, dum oravit, faciem ſuam ſemper versùs illum vertit: quid te avertet, ne ſemper in templo ores, vel ſi non poſſis, ſaltem verſùs illum, ubi JEſus tuus eſt, faciem, & cor tuum convertas? Sic cum Daniele facile, quod petis, impetrabis.

## PUNCTUM SECUNDUM.

O*Ratorium hoc ſit, quod dicitur.* Non erit, niſi tu priùs ſanctum templum ſis in temetipſo. Licèt enim parietes templi & dici ſanctos, & eſſe faciat conſecratio Epiſcopi, reliquiæ Sanctorum, viſitatio Angelorum: minimè tamen eorum ſanctitas propter ſe credenda eſt honorari, quos nec propter ſe certum eſt ſanctificari. Quin imo ſancta eſt propter corpora domus, corpora propter animas, animæ propter inhabitantem ſpiritum. Felix ille, qui declinaverit à malo, & fecerit bonum. Dignus eſt Sancta Sanctorum ingredi; imò anima ejus, quia in ſe ſancta eſt, jam habet, ad quem ingredi cupit.

Ex

Ex suâ pietate Dominus, antequàm petat aliquid ab eo, jam dicit; adsum.

## PUNCTUM TERTIUM.


ORatorium hoc sit, quod dicitur. Tibi non erit, nisi jugiter concupiscas in atria Domini, quæ significat. Ante omnia enim oportet orare; adveniat regnum tuum. Et ô Admirabilis domus, & dilectis tabernaculis, & atriis concupiscibilibus præferenda! quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Verùm multò magìs beati, qui habitant in domo tuâ Domine in sæcula sæculorum laudabunt te. In hac gloriosâ domo ubertas, & torrens omnis voluptatis, & si quæ sunt alia, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. O qui ita Oratorium oculîs internîs aspiceret, quàm fervidè pro cœlo oraret? Quàm immensa bona ex oratione certò reportaret?

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergò, ô Religiose! ut fructum condignum ex visitatione Oratorii acquiras, illud sanctum esse perpendis? Templum Dei sanctum est. An temetipsum sanctificas? An nescis, quòd corpus tuum sit templum Spiritûs sancti? An significatam cœlestis Jerusalem

lem ſanctitatem in Oratorio attendis? Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Dole, quòd ex viſitatione Eccleſiæ non magìs profeceris. Propone

1. Illam ſanctam conſiderare, & ideo
2. Temetipſum ſanctificare, atque
3. Ad æterna Sancta Sanctorum ſuſpirare.



## DIES IV.

## De incertitudine mortis.

Mortem quotidiè ante oculos ſuſpectam habere. Cap. 4. Inſtr. 47.

## PUNCTUM PRIMUM.

PRovidus Pater Filios ſuos hortatur: *Ut Mortem quotidiè ante oculos ſuſpectam habeant*; quia mors ubique hominem expectat. Certum quippe eſt; quia morieris. At incertum, quomodò, vel quandò, vel ubi. Mors ubique te exſpectat, & tu ſi ſapiens fueris, ubique eam exſpectabis. Exſpectando autem redi ad Te, ut ſemper poſſis aſcendere ad eum, ad quem creatus es. Tres ſiquidem aſcenſus ſunt ad Deum. In primo aſcendimus ab iſtis exterioribus, & inferioribus ad nos. Conſiderando namque ex incertitudine mortis, quàm caduca, & tranſitoria ſint iſta ter-

terrena, contemnimus ea, & redimus ad nos. In ſecundo aſcendimus ad cor altum. Cùm enim inſtantem mortem penſamus, & cognoſcimus, quàm proni ſumus ad malum, & quàm invalidi ſumus ad bonum, contemnimus nos. Aſcendimus ſupra nos tantò altiùs, quantò magis proficimus. In tertio aſcendimus ad Deum. Dum namque imminentis mortis timore ubique corripimur, ad Deum ultimum finem cognitione, & amore ejusdem ubique aſcendimus. O quanta inde ſecuritas nobis affulget! parati ſumus, quâcunque horâ Dominus venerit.

## PUNCTUM SECUNDUM.

PRovidus Pater Filios ſuos hortatur, ut *mortem quotidiè ante oculos ſuſpectam habeant*; quia in morte ſors juſtorum & iniquorum mutanda eſt. Hujus exemplum præbent nobis Ziphæi, & David. Venerant illi ad Saul, ut occiderent David. Nónne ecce David abſconditus eſt apud nos? Ziphæi namque florentes interpretantur, & erant, ſed David latens. Attende latentem. Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto. At iſti florentes erunt, quando apparuerit in morte ipſórum Chriſtus; quia & cum ipſo apparebunt. Cùm verò iſti in morte floruerint, Ziphæi areſcent. Cui namque flori illorum comparetur gloria, attende. Omnis caro fœnum, & omnis honor carnis, ùt flos fœni.

Quis

Quis finis? Fœnum aruit, & flos decidit. Hæc semper cogita, ô Religiose! nullam gloriam hujus mundi affectabis. Ad nullum officium ambitiosè aspirabis. Cum David latere cupies, ut in morte cum Christo apparere possis. Cum David persecutiones mundi libenter sustinebis; quia tu non vis esse de, & cum mundo; sed vivere in abscondito cum Christo. O quanta inde tibi felicitas in consolatione mortem ubique expectas. Cum gaudio in gloriâ morieris.

## PUNCTUM TERTIUM.

PRovidus Pater Filiis suis inculcat, ut *mortem quotidiè ante oculos suspectam habeant*; quia serò negligentes, & voluptatibus servientes Religiosi in morte evigilant. Impius quippe, cum dormierit, aperiet oculos suos, & nihil inveniet. In morte evigilat per veram cognitionem, & tunc nihil esse conspicit, quod tenebat. Sæpè etenim contingit, ut per somnium miras delicias, & honores mens nostra sibi repræsentet. At repentè evigilans, evigilâsse se dolet, quæ interim vel dormiens iis fruebatur. Ita Religiosi quasi per somnium commoditatibûs corporis, propriîs voluptatibûs, honoribûs in vita pascuntur, at tardè oculi illis aperiuntur, quando videlicet cum damnandis dicturi sunt: quid nobis profuit superbia? Quid inobientia? Quid proprietas? Quid impuritas? Quid gula?

gula? Quid odium! Quid acedia? Quid tepida, vana, fæcularis vita? Quid pro œconomia, ſtudiis, lucro animarum cum diſpendio ſalutis propiæ conſum̃atum tempus? Vilia, & fugitiva fuiſſe, quæ tenueramus, jam amiſſa cognoſcimus, quæ quamdiu nunc aderunt. magna, & manſura credimus. O Religioſe! contemne igitur omnes ſenſualitates. Abjice omnem corporalem requiem. Relinque omnia, quæ ad ſalvandam animam tuam non tendunt. Gaudebis in morte de pœnitentiæ labore. De paupertate, humilitate, & mortificatione lætaberis. Sape, prævide noviſſima tua.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religioſe! mortem quotidiè ſuſpectam habes, ut cum Deo tuo ultimo fine te unias? Mors ubique te exſpectat. An mortem quotidie ſuſpectam habes, ut mundanam gloriam contemnas? Ut flos fœni decidet in morte. An mortem quotidiè ante oculos ſuſpectam habes, ut ſenſualem, & negligentem vitam exuas? Velut ſomnium tranſit. Dole, quod hucusque non fructuosè mortem ſuſpectam habueris. Propone

1. Mortem quotidie ſuſpectam habere ad obtinendam unionem cum Deo ultimo fine tuo,

2. Ad contemnendam gloriam mundi, &

3. Ad emendandam sensualem, & tepidam vitam tuam.



DIES V.

# IN FESTO SS. MM. PLACIDI, ET SOC.

## De Martyrio spirituali.

Abneget semetipsum. Cap. 4. Instr. 10.

### PUNCTUM PRIMUM.

SAnctus Placidus Romæ Tertullo patre in primis nobili natus, mundum quemvix ingressus erat, jam reliquit, atque S. Benedicti monasticum institutum secutus est. Et hoc est primum testimonium, quod JEsu Christo, qui mundum fugere præcipit, strenuè reddidit. Ad hoc Præceptum Ss. Patris sui, *abneget semetipsum*, perfectè implevit. Abnegavit semetipsum, ne mundi gloriâ, voluptate, aut vanitate caperetur. Et ô quàm benè! omnis enim delectatio hujus mundi, universa ejus gloria quicquid denique in eo concupiscitur, prorsùs modicum est, in illius felicitatis, in illius gloriæ, in illius beatitudinis, quam hac abrenunciatione promeruit, comparatione: si tamen vel modicum dici debet, & non potiùs nihilum, vapor ad modicum parens. Acceperat beatus

tus Placidus nobile genus, amplas possessiones, hæreditatem multam. Acceperat hæc universa à Deo; ipsius enim dona sunt. Fidelem ergo se probavit ei, qui dederat, testem cùm juxta doctrinam ipsius & pro ejus amore universa contempsit, omnia detrimentum faciens, & arbitratus ùt stercora, ut in Religione Christum lucrifaceret. Et hoc testimonium tu JEsu Christo reddidisti, tantùm abnega temetipsum perseveranter, ne affectu rursùs ad sæculum redeas.

## PUNCTUM SECUNDUM.

SAnctus Placidus, quamvìs tenerrimè diligeret Ss. Patrem suum, ejusque jugiter lateri in patrandis miraculis adhæreret, nihilominus abnegavit desiderium propriæ voluntatis, obediit præcepto, abiit in Siciliam, Monasterium, & Ecclesiam propè Messanæ portum construxit. Et hoc est alterum testimonium, quod JEsu Christo, qui non venit facere voluntatem suam, sed ejus, qui misit se, reddidit. Implevit Regulam: *Si quis propriam non amans voluntatem, desideria sua non delectetur implere. Abnegavit semetipsum.* Genus quippe Martyrii est, sua abnegare desideria, & alterius sequi voluntatem. Licèt enim dolores Martyrii intensione non adæquet, diuturnitate tamen temporis superat. Et ô quàm sublimem præ cæteris, qui obedientes non fuerunt, promeri-

tus eſt coronam! hanc & tu aſpice, & libenter adimplebis illud Ss. Patris tui: *Voluntas habet pœnam, & neceſſitas parit coronam.* Sic & teſtimonium divinæ Voluntati per humilem ſubjectionem erga Superiorem ſemper præſtabis.

## PUNCTUM TERTIUM.


SAnctus Placidus cum Sociis ſuis non ſolùm JEſu Chriſto teſtimonium reddidit per Martyrium, ſed etiam per illibatam caſtimoniam. Non enim caſtitas laudabilis eſt; quia invenitur in Martyribus, ſed quia ipſa Martyres facit. Tu ergò ſi non potes Chriſtum per ſanguinis effuſionem confiteri, cum S. Placido coram hominibus, ad exemplum illius confitere eum per caſtitatis obſervantiam. *Abnega temetipſum.* Teſtimonium perhibe veritati, quæ dixit: ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum. Et quanta eſt iſta confeſſio, in carne degere extra carnem? A carnis ſtimulo pungi, & tamen non lædi? In corpore mortali angelicam ducere vitam? Aureum os hinc aureè loquitur; dum ait: velox eſt labor Martyrum; prolixior labor, & dolor caſtitatem colentium.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religioſe! teſtimonium reddis JEſu Chriſto per abrenunciationem ſæculi?

li? Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum. An testimonium reddis JEsu Christo per abnegationem propriæ voluntatis? Vir obediens loquetnr victorias. An testimonium JEsu Christo reddis per mortificationem carnis! Virgines sequuntur Agnum, quocunque ierit. Dole, quòd saltem in Martyrio spirituali omni Religioso ad salutem tam necessario Proto-Martyrem nostrum non secutus fueris. Propone illum imitari

1. Per abrenunciationem sæculi,
2. Per abnegationem propriæ voluntatis,
3. Per mortificationem carnis.



## DIES VI.

## De Avaritiæ malo.

Non subripiat avaritiæ malum. Cap. 57. v. 7.

### PUNCTUM PRIMUM.

LOnge abfuit à Ss. Patre nostro avaritiæ malum, qui omnia pauperibus ipsumque unicum, quod supererat, oleum noto illi Diacono elargitus est. Hac de causa statuit: *Non subrepat avaritiæ malum.* Avaritia quippe malum est; quia virtutes impedit. Qui enim avaritiâ semel infectus est, nullam de cætero veritatem, nec umbram humilitatis, charitatis, aut obedientiæ retinet. Indignatur ad omnia, atque ad singula ope-

ra ſibi injuncta murmurat, ac ſuſpirat. Non contentatur victu quotidianô, & ſolitô indumentô. Nullam ſervat reverentiam, ſed fertur ad præcipitium vitiorum absque fræno; haud ſecùs, ac equus indomitus ad interitum. Agitur equidem ſemper magìs, ac magìs accenſus ſui affectione peculii, ut ipſius mens totaliter cogitatione, & appetitu lucri occupetur. Hinc miſerabilis Monachus deceptus cogitat illa poſſidere in Monaſterio, quæ nec ante poſſidebat in ſæculo. Nî velis & tu omnibûs exſpoliari virtutibûs, omnem concupiſcentiam rei cujuslibet terrenæ extirpa. Impoſſibile namque eſt, eum non majori concupiſcentiâ pravi deſiderii inflamari, qui victus in exigua materia cupiditatis radicem in ſuo conceperit corde.

## PUNCTUM SECUNDUM.

*Non ſubrepat avaritiæ malum.* Avaritia malum eſt; quia origo plurimorum ſcelerum eſt. Charitatem namque fraternam lædit; dum enim ſemper plura requirit, indignatur, ſi fortè indigentiori quicquam conceditur. Et cùm ſe ex hoc deſpici arbitretur, nec ulli operi manus ſuas apponit, quod utilitas Monaſterii neceſſariò fieri exigit. Talibûs igitur vitiorum, & averſionum incrementîs in deteriùs tantùm quotidie avaritia creſcit, ut pro libro, aliisque rebus minimis litigare non erubeſcat. Sanè ejus-

ejusmodi Monachi ideo in cœnum avaritiæ labuntur; quia rursus desiderant, & resumant ea, quæ in exordio abrenunciationis suæ viriliter abjecerunt. Et nisi nuditatem priorem amplectantur, nullum erit vitium, quod pro cupiditate sua perpetrare verebuntur. Itaque, *non subripiat tibi avaritiæ malum.* Veritatis etenim effatum est; qui volunt fieri divites, incident in tentationes.

## PUNCTUM TERTIUM.

N*On subrepat avaritiæ malum.* Avaritia malum est; quia duplici crematur igne; hic concupiscentiæ, ibi gehennæ. Ita Spiritus sanctus. 12. *Job.* 25. Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. Tabernacula eorum namque sunt corpora eorum, quæ animæ eorum inhabitant. In his torquentur igne cupiditatis. Et tabernacula eorum sunt tenebræ exteriores. In istis cruciantur ignibus gehennæ. Hic ergo fatigantur in desideriis, & illic in tormentis, eisque de labore cogitationis, labor doloris nascitur; dum ab æstu avaritiæ ad æstum ignis æterni trahuntur. Et unde Monachis tantus interitus? Abs malo, & vitioso initio conversationis religiosæ. A principio se non penitùs ab universis mundi cupiditatibus denudârunt. Hoc ipsum sanctus Basilius exprobravit Sincletio, qui de propriis facultatibus sibimet aliquid reservavit, nolens ve-

ram humilitatem, paupertatem, & operis contritionem monaſtica ſubjectione acquirere. Senatorem Sincletium ajebat perdidiſti, & Monachum non feciſti. Tu, ne teipſum quoque perdas, omnia priùs perde.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religioſe! non concupiſcis ea habere in Monaſterio, quæ foris nunquam habuiſſes? A minore quippe uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent: à Propheta uſque ad majorem omnes avaritiæ ſtudent: à Propheta uſque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. An non priora ſaltem per concupiſcentiam reaſſumis? Omnes in viam ſuam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam ſuam, à ſummo usque ad noviſſimum. An non ab initio converſionis tuæ aliquam mundanæ ſubſtantiæ concupiſcentiam tibi reſervaſti? Væ qui congregat avaritiam malam domui ſuæ, ut ſit in excelſo nidus ejus, & liberari ſe putat de manu mali. Dole, quòd malum avaritiæ tantùm dilexeris. Propone

1. Non concupiſcere in Monaſterio, quæ nec foris habere potuiſſes.

2. Non concupiſcere, quæ jam ſemel reliquiſti.

3. Nullam tibi ab initio reſervare concupiſcentiam alicujus terrenæ ſubſtantiæ.

DIES



# DIES VII.

## De probatione Spiritûs.

Probate Spiritus, si ex Deo sunt. Cap. 55. v. 2.

### PUNCTUM PRIMUM.

ISta probatio Spiritûs, quam Ss. Pater pro Novitiis præscribit; *probate Spiritus, si ex Deo sunt*, non solùm necessaria est ipsis noviter venientibus, sed etiam conversatione diutinâ Monasterii probatis. Sæpe quippe Angelus Sathanæ in Angelum lucis se transfigurat. Veri Spiritûs, qui es Deo est, hinc prima probatio est; si *illatas sibi injurias visus fuerit patienter portare*. Patientia enim opus habet perfectum, nec quidquam imperfectionis, aut falsitatis admittit. Hâc probantur homines, sicut aurum in fornace; in quo aurum semper à scoria secernitur. Quod si patienter adversa quis pati non potest, nunquam veram sibi promittat sanctimoniam. Talis Spiritus ex Deo non est, qui jubet crucem post se portari. Ex Deo non est, qui patientiam Filii hominis non imitatur. Sit ergo tibi suspectus omnis Spiritus, qui amorem crucis non spirat.

### PUNCTUM SECUNDUM.

P*Robate Spiritus, si ex Deo sunt*. Altera proba est, si Spiritus sit conformis S. Re-

gulæ. *Ecce Lex, ſub qua militare vis: ſi potes ſervare, ingredere; ſi vero non potes liber diſcede. Quòd ſi aliquando aliter feceris, à Deo te damnandum ſcias, quem irrides.* Ergo Spiritus corformis Regulæ ducit ad vitam; Spiritus vero difformis Regulæ ad damnationem. Pro quot non ſub Schino falſæ, & fucatæ perfectionis aliena inſtituta ſequuntur; & in fine decipiuntur? Quot non tritam viam declinant, ac in via ignota gradiuntur, cum Prophetâ dicentes: Singulariter ſum ego; donec tranſeam; & totô cœlô aberrant? Quot non altiora ſupra vocationem ſuam æmulantur chariſmata; & præſumptuoſi, qui voluerunt nidum ſuum ponere in cœlo, pereunt in cœno? Sit tibi igitur ſuſpectus omnis Spiritus, qui ſpiritum Ss. Patris tui non ſpirat.

## PUNCTUM TERTIUM.

P*Robate Spiritus, ſi ex Deo ſunt.* Tertia probatio Spiritûs eſt, ſi in bono perſeveret. Hoc denotat Ss. Pater dum ait: *promittat de ſtabilitate. Sciat, lege Regulæ conſtitutum, quòd ei ex illa die non liceat de Monaſterio egredi. Ut ſi aliquando ſuadente Diabolo conſenſerit, ut egrediatur de Monaſterio (quod abſit) tunc exutus rebûs Monaſterii projiciatur.* Sic quippe Spiritus Sathanæ inſtigat ad inſtabilitatem. Unum enim poſt aliud bonum Opus ſuadet; donec præter

vitium

vitium inconſtantiæ nihil remaneat. Et quem tam facilem in mutandis piis exercitiis invenit, etiam faciliter ad deferendam vocationem ſuam abducit. Econtra Spiritus Dei ad perſeverentiam perpetuò allicit. Quid enim aliud, quàm ſalutem quæreret, qui omnes homines vult ſalvos fieri? Qui autem perſeveraverit usque in finem, hic ſalvus erit. Sit proinde tibi ſuſpectus omnis Spiritus, qui Spiritum ſtabilitatis tibi non inſpirat.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergò, ô Religioſe! probas Spiritum tuum, utrùm Dei, & Ss. Patris tui ſit, per patientiam? Probaſti nos Deus: igne nos examinâſti, ſicut examinatur argentum. An probas Spiritum per conformitatem ad Regulam? Quicunque ſecuti fuerint hanc Regulam, pax ſuper illos. An probas Spiritum per ſtabilitatem in bono? Deus confirmabit vos in ſinem ſine crimine. Dole, quòd ſæpiùs alio, quàm Dei Spiritu ductus fueris. Propone Spiritum tuum crebrò probare, an Deo, & Ss. Patre tuo ſit

1. Patientiâ,
2. Conformitate ad Regulam,
3. Perſeverentiâ in bono.



# DIES VIII.

## De vitandis ſuſpicionibus.

Non ſit nimìs ſuſpicioſus. Cap. 64. v. 21.

## PUNCTUM PRIMUM.

MErito Ss. Pater N. hortatur: *Non ſit nimìs ſuſpicioſus.* Suſpicio enim tollit quietem animi. Hinc ſtatim ſubjungit; *quia nunquam requieſcet.* Modò enim hoc, modò aliud malum ſibi imminere levi de cauſa ſuſpicabitur. Modò iſta, vel illa proſpera ſibi ex vano præſagiet. Unde perpetua cordis inſtabilitate agitatur. Nunc proſperîs elevatur. Nunc adverſis deprimitur. De ejusmodi rectè Spiritus ſanctus ait: Non eſt pax impiis. Semper quippe eadam cupiditate, vel formidine torquentur, quam ſuſpicantur. Et niſi timorem Dei, atque humilitatem aſſueſcant, nunquam requieſcent. Super quem enim requieſcet Spiritus pacis, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem verba ejus?

## PUNCTUM SECUNDUM.

NOn *ſit nimîs ſuſpicioſus.* Suſpicio namque tollit amorem, & unitatem cum proximo. Cum ſuſpicioſo enim quis converſabitur? Cavendus planè eſt inſtabilis, ac ſuſpicio-

spiciosus amicus; quia fructus amicitiæ est securitas. Quomodo credendum amico, qui omni circumfertur ventô, qui molli comparatur luto omnium formas in se suscipienti? Quid etiam magìs competit amori, & unitati, quàm continua tranquillitas cordis, cujus expers est omnis suspiciosus? Quales in semetipso concipit suspiciones, tales etiam erga proximum format affectiones. Unde cùm in semetipso nunquam quiescat, etiam alios quiescere non permittit.

## PUNCTUM TERTIUM.

N*On sit suspiciosus.* Pacem equidem turbat cum Deo. Meritò enim offenditur Deus; quandò homo judicium Dei sibi arrogat. Ipse solus scrutatur renes, & corda. Ipse novit abscondita. Ipsi soli confitebitur cogitatio hominis. At suspiciosus levi ex causa præsumit proximum judicare. Prô! quis homo judicat de homine? Temerariîs judiciîs plena sunt omnia. De quo desperavimus, subitò convertitur, & fit optimus. De quo præsumpsimus, subitò deficit, & fit pessimus. Nec timor noster certus est, nec amor noster certus est. Quid sit hodie quisque homo, vix novit ipse homo: tamen utcunque ipse sit hodie; quid autem cras? Nec ipse. Justè igitur judicat Deus hominem suspiciosum, quandò temerariè divinum sibi assumit judicium. Et quodnam illud est Dei judi-

judicium? In ea, de quibus proximum judicat, peccata labi permittit.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergò, ô Religiose! fugis suspiciones, quia pacem internam perturbant? Cogitavit Abraham, quòd forsitàn non sit timor Dei in Geraris, & homines illius terræ eum occiderent propter uxorem suam. An fugis suspiciones, quia pacem cum proximo perturbant? Dum Uxor Putipharis pallium Joseph Domino suo monstrâsset, valdè iratus est contra Joseph. An fugis suspiciones; quia pacem cum Deo perturbant? Cùm vidissent barbari pendentem viperam in manu Pauli, adinvicem dicebant: utique homicida est hic. Dole, quòd toties per suspiciones pacem amiseris. Propone eas vitare,

1. Ut pacem tecum,
2. Pacem cum proximo,
3. Pacem cum Deo conserves.



## DIES IX.

### De peccato omissionis Religiosorum.

Scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si faciant, sicut è diverso peccatum, si negligant. Cap. 64. v. 7. & 8.

Pun-

## PUNCTUM PRIMUM.

SCientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si faciant; sicut e diverso peccatum, si negligant. Hisce Ss. Pater nos cautos facit, ne solùm peccata commissionis, sed quàm maximè omissionis vitemus. Eò frequentiùs enim perpetrantur, quò occultiùs nobis insidiantur. Numera omissiones actuum internorum, quos S. Regula omni horâ, vel omni die, vel semper eliciendos præscribit: Prô! quantum numerum inibis? Et non timeas? Sint minimæ licèt negligentiæ; an nescis, quia qui spernit modica, paulatim decidit? Certè, qui minimas negligentias quotidiè flere, ac devitare negligit, non quidem repentè, sed partibus totus cadit. Tantùm quippe quotidiè de gratiâ illi decedit, quantùm negligentiæ in exercitio præscriptarum virtutum admittit. O Deum meum immortalem! ista peccata hucusque non agnovi. Ab occultis meis munda me Domine!

## PUNCTUM SECUNDUM.

SCientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si faciant; sicut è diverso peccatum, si negligant. Numera omissiones in exercitiis externis, prô! numerum invenies sine numero? Et non timeas: quia oculis tuis magìs sunt absconditæ; quin commissiones? Certè hoc agit sentina latenter excrescens,

quod

quod patenter procella desæviens. Paulatim navim mergit eò periculosius, quò occultiùs. Aperta peccata etiam plangimus, & non nunquàm emendamus: occulta nec deflemus, nec vitamus. Hinc est, quòd nos per contemptum in profundum vitiorum demergant. O Domine! quis salvus fiet, cum ad judicandum veneris? Reverà apud homines est impossibile. Ab occultis meis munda me Domine.

## PUNCTUM TERTIUM.

S*Cientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si faciant; sicut è diverso peccatum, si negligant.* Numera omissiones in officiis, & functionibus tuis, prô? qualis numerus erit? Qantùm inde detrimentum. Religio, substantia Monasterii, animæ &c. tu ipse non patiaris? An nescis illud, quô Ss. Pater tuus Abbatem adhortatur; *Sciat Abbas culpæ pastoris incumbere, quidquid in ovibus paterfamilias utilitatis minùs potuerit invenire?* Idem tibi dictum reputa. Non solùm discutiet peccata omissionis, quæ per neglectum præceptorum incurristi, sed etiam illas negligentias, quibûs profectum impedisti. O quantum in morte ista te gravabunt peccata? Erunt quasi moles cordi tuo superposita. Nullam tunc anima tua inveniet requiem. Coangustabunt eam undique inimici ejus. Ergò nunc deplora peccata tua. Evita negligentias. Sæpiùs cum Prophetâ ora. Ab occultis meis munda me Domine!

Pun-

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergò igitur, ô Religiose! multos actus internos à sacrâ Regulâ præscriptos omittis? Miserere mei Deus, quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. An non subinde sine scrupulo unum, aut alterum exercitium externum omittis? Vir peccator adjiciet ad peccandum. An non plurima agenda in tuis officiis omittis? Peccator cùm in profundum venerit, contemnit. Dole de tot omissionibus. Propone eas vitare

1. In actibus internis S. Regulæ,
2. In exercitiis externis,
3. In functionibus tuis.

---

## DIES X.

### De vitandâ anxietate.

Non sit anxius. Cap. 64. v. 21.

## PUNCTUM PRIMUM.

PIissimus Pater, ut nemo ex suis tristitiâ absorberetur, cavet, *ne quis sit anxius*. Prima, & maxima anxietas oritur de peccatis commissis. Bona quidem est, si compunctionem pariat, & spem non auferat. At mala est, si in diffidentiam, & pusillanimitatem nimiam vergat. Tanta siquidem misericordia

Domini eſt, ut dum quiſpiam peccator cum contritione, & amore ſeſe ad Deum convertit, cuncta ejus peccata in immenſæ benignitatis Dei abyſſo citiùs abſorbeantur, quàm poſſit oculus aperiri, & claudi. Faſciculus ſtuparum in ingentem ignem miſſus non ita repentè inceditur, quàm repentè Deus propter ineffabilem pietatem ſuam peccatori verè pœnitenti ignoſcit. Si totus mundus globus foret, igneus, & in medium ejus faſciculus lini mitteretur; hic ex naturali ſuâ inclinatione non tam citò flammas reciperet, quàm recipit abyſſus miſerationum pœnitentem. In illâ ſiquidem actione intercedit neceſſariò aliqua morula, quamvìs fortaſsìs imperceptibilis: at inter pœnitentem, & remittentem nulla penitùs mora intervenit. Et quis ergò anxietur de peccatis præteritis, ſi verè doleat?

## PUNCTUM SECUNDUM.

N*On ſit anxius.* Altera anxietas oritur ex continuis, & gravibus tentationibus. At nec hîc anxiandum. Dæmon latrare poteſt, non poteſt mordere, niſi volentem. Non nocet ſenſus, ſi deſit conſenſus. Quidquid præter voluntatem tuam ſuſtines, non te perdet. Nullum vitium tibi dominabitur, furant licèt caro, dæmon, & mundus; quamdiu in ſuperioris mentis ratione quietus cum voluntate Deo adhæreas. Contemptu ſubinde

faci-

faciliùs ſuperantur tentationes, quàm multâ, & magnâ reſiſtentiâ. Planè ſi optio tibi daretur, nequaquàm tamen vitiosîs propenſionibûs deberes velle abſolvi. Nónne ille eſt optimus pugil, qui vitioſas propenſiones, & tentationes ſuperat? Vitioſæ propenſiones, & tentationes inducunt virtutes in animum, nos in Dei ſervitio ſtudioſiores efficiunt, mentem ad ſui ipſius obſervantiam excitant, purgant peccata præterita, à futuris præſervant. Profectò propter iſtas nullum pium exercitium eſt omittendum. Jam inimicus, quod intendit, aſſequeretur. Plùs Deo placet opus bonum cum talibus tentationibus peractum, quàm ſenſibilis in illo conſolatio. Et quis tentationum laborem ſubterfugiat, aut anxius ſit?

## PUNCTUM TERTIUM.

NOn *ſit anxius.* Tertia anxietas ex ſcrupulis provenit. Aliquando enim usque adeò perplexus eſt ſcrupuloſus, ut neſciat, quid de præteritis, quid de præſentibus actionibus ſtatuere debeat. Hinc raptus in diverſa in omnibus miſerabiliter fluctuat. Timet ubique peccatum, ubi peccatum non eſt. Et dum unum vult vitare, centum alia ſibi vitanda eſſe, vel fuiſſe occurrunt. Tantâ enim anxietate conſtringitur, ut ad ultimum ineptus ſit ad omnia. Hanc ergò anxietatem præcipuè proſcribit Ss. Pater, quæ gratiam Dei

impedit. Nisi quis ergò in principio illi resistat, in immensum crescet. Solùm ille mox ab eâ liberabitur, qui scit cæcô modô Patri spirituali obedire. Si tamen permittente Deo ab eâ liberari non potes, porta hanc crucem patienter. Per hanc quoque sequêris Salvatorem ad cœlum.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergò, ô Religiose! nunquàm inordinatè anxius es propter præterita peccata? Miserationes Domini super omnia opera ejus. An nunquàm anxius es propter tentationes? Christum quoque tentavit Sathanas. An non anxius es propter scrupulos. Supra modum gravati sumus, supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. Dole, quòd mentis anxietati toties locum dederis. Propone

1. Non anxius esse propter peccata præterita,
2. Nec propter gravissimas, & continuas tentationes,
3. Nec demùm propter perpetuos scrupulos.



## DIES XI.

## De Examine Nocturno.

Mala

Mala ſua præterita cum lachrymis, vel gemitu quotidiè in oratione Deo confiteri, de ipſis malis de cætero emendare.
Cap. 4. inſtr. 58.

## PUNCTUM PRIMUM.

Dum Ss. Pater nobis Inſtr. 58. *Mala ſua præterita cum lachrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri, de ipſis malis de cæterò emendare* præſcripſit, etiam exercitium veſpertinum, ſeu examen nocturnum commendavit. Ad hoc verò exigit primò, ut *in oratione Deo confiteamur.* Neceſſe enim eſt, ut Deo omnium bonorum largitori omni die pro iis omnibus, quæ in eo nobis data fuerint, feliciterve nobis evenerint, gratiarum actio ſuccedat. Ingrato nulla ampliùs gratia dabitur, & auferetur ab eo gratia, quam habet. Nullô ferè peccatô ſic irritatur Deus, atque ingratitudine. Etenim, ſi Ammonites & Moabites ita ab eo puniti ſunt, ut poſt decimam generationem intrare in Eccleſiam ſuam eos prohibuerit; quia ingrati fuerunt Filiis Iſraël; quantùm punientur, qui ipſimet Deo pro acceptis beneficiis gratias agere neglexerunt? Ne gratiâ Dei igitur excidas, gratus eſto pro quotidianis beneficiis.

## PUNCTUM SECUNDUM.

Secundò vult, ut *confiteamur mala noſtra præterita.* Eadem confiteri non poſſu-

mus, nisi priùs ritè ea exanimaverimus. Sedeat ergò mens tua Judex in animam, & conscientiam tuam. Adducas omnia peccata tua in medium. Scrutare quæ mala commisisti, quæque bona neglexisti. Attende diligenter, quantùm in Ss. Regulâ proficias, vel quantùm deficias. Quod si in dictis, factis, aut cogitationibus tuis quoddam peccatum reperias, accusa, increpa, & castiga temetipsum, ne rursùm peccare præsumas. Hoc quotidiè fecit, qui dixit; in cubilibus vestris compungimini, semetipsum ùt postea Paulus dijudicavit, ne judicaretur à Domino. Idem & tu facito, lætus quoque tribunali futuri judicis assistes. Non enim judicabitur, qui semetipsum severè & sine excusatione peccati dijudicaverit.

## PUNCTUM TERTIUM.

TErtiò præcipit; ut *mala præterita cùm lachrymis, vel gemitù cordis* Deo *confitearis, & de cætero emendes.* Hisce contritionem, & propositum denotat. Parùm aut nihil proficit examen, nisi amaram contritionem, & propositum habeat adjunctum. Ex horum neglectu omnis in Religione defectus provenit. Quis enim ritè de præteritis doleat, quis firmum habeat propositum, & tamen se non emendet? Nònne ex defectu doloris, & efficacis propositi fit, ut media emendationis nunquàm applices, semper iisdem in vitiis

vitiis maneas, in quibus anteà fuisti? ut verè pœniteas; cogita dies antiquos, & annos æternos aliquantùm in mente habeto. Qui sunt isti anni? Magna cogitatio. Hinc dices: nunc cœpi. Hæc mutatio dexteræ excelsi; commendabis temetipsum cum tuo proposito in ardenti oratione Deo, B. V., Ss. Patri, atque reliquis Patronis tuis. Ita verò in pace requiesces. Sin aliter; quomodò soporari poterit anima tua, cùm ignores, quâ horâ fur venturus sit?

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergò, ô Religiose! quotidiè vespere Deo gratias agis pro acceptis beneficiis? Hoc autem scito, quòd in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines ingrati. An examen conscientiæ ritè instituis? Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur à Domino. An dolorosam contritionem, & firmum propositum elicis? Dixi; confitebor adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Dole, quòd hoc præstantissimum exercitium toties vel omiseris, vel sine fructu peregeris. Propone

1. Vespere Deo pro acceptis beneficiis gratias agere.

2. Conscientiam tuam severè discutere.

3. De peccatis verè dolere, & eadem de cætero emendare.



## DIES XII.

### De adulationis vitio.

Ii, qui adulantur partibus, eunt in perditionem. Cap. 65. v. 9.

### PUNCTUM PRIMUM.

BEnè Ss. Pater monet, *quod ii, qui adulantur partibus, eant in perditionem.* Est enim vitium frequens, quod neque Monasteriis parcit. In multis namque maximè hoc tempore regnat. Ducitur quippe humilitatis, ac benevolentiæ locô; in tantum, ut qui adulari nescit, aut invidus, aut superbus putetur. Est sanè grande, & subtile artificium istâ ætate, laudare alterum in commendationem sui, & decipiendo sibi animum obligare decepti, quodque hoc vitio maximè agi solet, fictas laudes certô pretiô vendere. Venduntur equidem pro favore, pro gloriâ, pro commodo quotidiè. O quàm insipientes sunt, qui istud pretium reddunt! scorpiones mercantur. Scorpio non mordet in facie, sed à posterioribus nocet. Et adulator in faciem laudat; mox vero, ùt recesserit, derogat. Cave ergò ab adulatione; secùs ibis & tu in perditionem.

## PUNCTUM SECUNDUM.

*II, qui adulantur partibus, eunt in perditionem.* Est enim adulatio enorme vitium. Veloces quippe sunt pedes adulatorum ad effundendum sanguinem. Animas, dum ob peccatum laudant, etiam interficiunt. Dum peccatori propter malum peractum applaudunt, in malo eundem confirmant. Unde in actis Apostolorum Paulus dicit: mundus sum à sanguine omnium; non enim subterfugi, quo minùs vobis annunciarem omne consilium Dei in vobis. O quàm crudelis est in semetipsum, qui adulationes recipit! Si namque conscientiam mordet veritas criminis, quid mihi proderit, si me continuîs laudibûs totus mundus attollat? Nec malam conscientiam sanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat conviciantis opprobrium. Corripiet ergò me justus in misericordiâ, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

## PUNCTUM TERTIUM.

*II, qui adulantur partibus, eunt in perditionem.* Est enim adulatio perniciosum vitium. Etiam adulatoris animam occidit quando laudat peccatum alterius. Hinc Propheta ait: si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Hoc dicit, non quòd fecerit furtum, vel adulteri-

um; sed quia placito suô concurrit, & portionem suam laudando posuit. Sic quoque ait: os tuum abundavit malitiâ, & lingua tua concinnabat dolos. Malevolentiam, & dolositatem quorumdam hominum dicit, qui per adulationem, quamvìs sciant mala esse, quæ audiunt, ne offendant eos, à quibus audiunt, non solùm non reprehendendo, sed tacendo consentiunt. Consentiendo autem in foveam, quam foderunt, cadunt. Ah! Nemo gratuletur homini, qui prosperatur in viâ suâ, cujus peccatis deest ultor, & adest laudator; major hæc ira Dei est. Irritavit Dominum peccator, ut ista patiatur, id est, ut correctionis flagella non patiatur. Caveat quivis ab adulationis vitio, ne cum eo eat in perditionem.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religiose! fugis adulationis vitium; quia malum frequens est? Videns Herodes; quia placeret Judæis, apposuit, ut apprehenderet & Petrum. An fugis adulationis vitium; quia malum enorme est? Meliùs est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi. An fugis adulationis vitium; quia malum perniciosum est? Neque enim fuimus aliquando in sermone adulationis, sicut scitis. Dole, quòd hoc iniquissimô vitiô etiam infectus fueris. Propone fugere adulationis vitium,

1. Ob

1. Ob ejus frequentiam,
2. Ob ejus enormitatem,
3. Ob ejus perniciem.

## DIES XIII.

### De crebrâ Lectione S. Regulæ.

Hanc Regulam sæpiùs volumus in Congregatione legi. Cap. 66. v. 9.

## PUNCTUM PRIMUM.

H*Anc autem Regulam sæpiùs volumus in Congregatione legi, ne quis fratrum de ignorantia se excuset.* O beatissime Pater! ista sanctè præcipis,& quis tibi non obediat? Regula tua obligat sub peccato. Omni quippe homini proponitur, sed imponitur nulli. Unde qui eam semel ex propriâ voluntate promisit tenendam, non jam liberum habet eam dimittere,quam antè tamen liberum habuit non suscipere. Ideoque, quam ex voluntate suscepit,ex necessitate jam tenebit: quia omninò necessè est,eum reddere vota sua, quæ distinxerunt labia sua, & ex ore suo aut condemnari jam, aut justificari. Quis igitur ita dissoluti cordis sit, ut illum librum non semper manibûs terat, quem si ignoraverit,peccet, & condemnetur? Væ illis,

lis, qui omnes alios libros frequentiùs, quàm Regulam ſuam, quàm librum vitæ ſuæ legunt! nònne timendum ipſis, ne in eo non ſcripti inveniantur?

## PUNCTUM SECUNDUM.

H*Anc Regulam ſæpiùs volumus in Congregatione legi.* Regula etenim ducit ad perfectionem. Qui ſtrenuè eandem obſervat, & ſi ſubinde aliquod illius mandatum transgrediatur, tamen ſemper ad perfectionem tendit; dummodò media contra transgreſſionē præſcripta ex Regulâ diligenter applicet. Qui verò perfectionem ſuam aliundè, quàm ex Regulâ ſuâ quærit, omnia, quæ agit, ei ad defectum, non profectum cedunt. Jugiter enim illa agenda ſunt, quæ Deus, & ſacra Profeſſio à nobis requirunt. Initium quippe viæ bonæ, teſtante Spiritu ſancto, facere juſta: accepta autem Deo magis, quàm immolare hoſtias. Quid namque juſtiùs, quàm Deo reddere, quod promiſiſti? Quid acceptiùs, quàm in juſtitiâ coram Deo incedere? Ne ergò credideris per voluntaria ſive oris, ſive operis, ſive cordis à te perfectionem obtineri poſſe, niſi priùs Regulæ tuæ ſatisfeceris. Ita præceptum Domini præcipit: ambulate in eâ neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram; via recta eſt vobis, ita, ut ſtulti non errent per eam. O quis non ſemper in mente, in ore, in manu habeat Regulam.

Pun-

## PUNCTUM TERTIUM.

H*Anc Regulam sæpiùs volumus in Congregatione legi.* Regula equidem infallibiliter te perducit ad vitam æternam. Tota namque dirigitur ad charitatem. Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus. Et hæc est charitas, ut ambulemus secundùm mandata ejus charitas autem est semen gloriæ æternæ, quæ nunquàm evacuatur. Cur igitur non continuò legas S. Regulam tuam? Ipsa te custodit à peccato, & si peccâsti remedium statim contra peccatum suggerit. Ipsa te dirigit ad perfectionem. Ipsa te ad vitam ducit æternam. O quàm infelix, cæcus, & miser es, si alium librum libentiùs, aut frequentiùs legis, quàm illum, ex quo salus tua, & vita pendet æterna?

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religiose! sæpiùs S. Regulam legis; quia te obligat sub peccato? Si aliter feceris à Deo te damnandum scias, quem irrides. An crebrò S. Regulam legis; quia te ad perfectionem tuam ducit? Perfecti estote, sicut Pater vester cœlestis perfectus est. An crebrò S. Regulam legis; quia te perducit ad vitam æternam? Facientibus hæc regna patebunt superna. Dole, quod tam rarò S. Regulam legas. Propone sæpiùs S. Regulam legere,

1. Ut peccatum evites,
2. Ut perfectionem acquiras,
3. Ut ad vitam pervenias æternam.



## DIES XIV.

### Quidnam Monachus in itinere vitare debeat?

Revertentes de viâ Fratres ab omnibus petant orationem propter excessus, ne quid fortè subripuerit in viâ visûs, aut auditus malæ rei, aut otiosi sermonis. Cap. 67. v. 3. & 4.

### PUNCTUM PRIMUM.

Dum Ss. Pater revertentibus de viâ Fratribus orationem propter excessus præscribit, etiam exeuntibus de Monasterio præcipit, ne patiantur, ut ipsis *fortè quid subripiat visus malæ rei.* Quàm citò enim oculus concupiscentiam cordis sequitur? Quàm citò oculus concupiscentiam cordis generat. Unde in Job scribitur; si secutus est oculus cor meum: &; pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Sicut namque sæpè tentatio per oculos trahitur, sic nonnunquàm concepta intrinsecùs, compellit sibi extrinsecùs oculos deservire. Nam plerumque res quælibet innocenti mente respi-

ſpicitur, ſed ipſo conſpectu animus concupiſcentiæ gladiô confoditur. Non enim David Uriæ conjugem ideò ſtudiosè reſpexit; quia concupierat: ſed potiùs ideò concupivit; quia incautè reſpexit. Fit verò rectæ retributionis examine, ut qui exteriori negligenter utitur oculô, interiori non injuſtè cæcetur. Quôcunque autem modô oculîs abutamur, cogitationis immunditia protinùs ad operationem tranſit, ùt Job primæ ſuæ aſſertioni mox adjungit, etſi in manibus meis adhæſit macula. Scis, quàm gravem tentationem ex incauto aſpectu fœminæ paſſus ſit Ss. Pater tuus. Cautè igitur claude oculos tuos, ne mors per feneſtras intret, aut exeat. Hinc quoque iter arrepturus ſolicitè *omnium Fratrum, vel Abbatis orationi te commenda*; atque ſaltem manè in itinere conſtitutus illam *commemorationem omnium abſentium*, *quæ ſemper ad orationem ultimam operis Dei fit*, devotè offer, *ne quid fortè per diem tibi ſubripiat viſus malæ rei.*

## PUNCTUM SECUNDUM.

SEcundò præcipit Ss. P. N., ne itinerantes patiantur, ut *ipſis ſubripiat quid auditus malæ rei.* Sic enim verba proximorum audiendo quotidiè ſumimus in mente, ſicut flando, atque reſpirando aërem trahimus corpore. Et ſicut malus aër aſſiduo flatu tractus inficit corpus, ita perverſa locutio aſſiduò audita in-

infirmantium inficit animum, ut tabescat delectatione pravi operis, & assidui iniquitate sermonis. Sæpè namque carnalium verba, dum se importunè nostris auribus ingerunt, in corde bellum tentationis gignunt. Respuat hæc licèt ratio, & lingua reprehendat, cum labore tamen intùs vincitur, quod foris cum auctoritate dijudicatur. Unde necessè est, ut nec ad aures veniat, quod mens à cogitationis aditu vigilans repellat. Sancti igitur viri, cùm æternitatis desideriis anhelant, in tantam altitudinem vitæ se sublevant, ut audire jam quæ mundi sunt grave sibi, ac deprimens pondus credant. Valdè namque insolens, atque intolerabile æstimant, quidquid illud non sonat, quod intùs amant. Hos si secutus non es in itinere, saltem *revertens de viâ pete orationem propter* excessus.

## PUNCTUM TERTIUM.

TErtiò præcipit Ss. P. N., ne itinerantes patiantur, ut *ipsis quid subripiat otiosi sermonis.* De omni enim verbo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem. Recedant igitur de ore nostro vetera otiosa verba, ut cùm damnatæ vetustatis culpa etiam à sermone compescitur, in novi hominis pulchritudinem transeamus. Quod profectò si contemnimus, audiamus. Et ipsi præparantur cogitationes. Quasi à minori culpâ nos terreat, dicens: hinc otiosa loquentes cogitent,

tent, quam metùere culpam locutionis debeant, ſi is, cui loquendo delinquitur, etiam cogitationum exceſſus ad judicii ſui examen ſervat. Etenim quantò majoris culpæ erit otioſa loqui, quàm cogitare Monacho, de quo toties, & graviter ſcandalizantur ſæculares? Si igitur & in hòc exceſſiſti, ſaltem *revertens de via non præſumas aliis referre, quæcunque foris Monaſterium videris, aut audieris, quia plurima deſtructio eſt.*

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religioſe! oculos bene claudis? Inſatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis. An aures concludis? Nonne auris verba dijudicat? An òtioſos ſermones vitas? Qui neſcit refrænare linguam ſuam, hujus vana eſt Religio. Dole, quòd toties hîsce modîs deliqueris. Propone

1. Oculos benè claudere.
2. Aures ſepire.
3. Otioſos vitare ſermones.



## DIES XV.

### De vitanda Præſumptione.

Vitetur in Monaſterio omnis præſumptionis occaſio. Cap. 70. v. 1.

## PUNCTUM PRIMUM.

MEritò Ss. Pater noster præcipit, *ut vitetur in Monasterio omnis præsumptionis occasio*. Est enim ista præsumptio injuriosa Superiori. Illi quippe divinitùs data est potestas, & judicium à Deo, & nulli alteri. Ipsi à Deo injunctum est: audite illos, & quod justum est, judicate; quia Dei judicium est. In tantum equidem licitum est judicium hominis, in quantum procedit ad illud authoritate Divina. Et ne quis se intromitteret potestati alterius, aut potestatem sibi super alium arrogaret; vel propter damnum, vel propter fructum, qui inde provenit, Apostolus ejusmodi præsumptionem retundit; Domino suo stat, aut cadit. O maximam planè injuriam! ô intolerabilem superbiam! & tamen quoties contingit, si non actu saltem verbô, si non verbô, saltem judiciô ista præsumptio exercetur, dum quivis meliùs alios regere, & instruere cogitat, dicit, attentat? Sanè Patres antiqui subesse omnes certabant, unde unus Superior aliqua millia velut unum regere Monachum poterat, cum modò unus vix aliquot propter præsumptionem quietè regere possit.

## PUNCTUM SECUNDUM.

V*Itetur in Monasterio omnis præsumptionis occasio.* Etenim ista præsumptio est inju-

injuriosa proximo. Dum enim imperium super alium assumit, super quem jus nullum ei competit, nonne injuriosam tyrannidem in illum exercet? Nonne injuriosus est, qui imperiosis verbis, & duris mandatis fratrem suum velut servum excipit, & tractat? Talem imperiosum hominem, quis æquô animô semper sustinere poterit? Profectò nullus non celeriùs injuriam remitteret, si cæderetur, quàm si ita contemneretur. Meritò taliter *peccantes coram omnibus arguuntur, ut cæteri metum habeant*: nam hac præsumptione, teste Gerardo Belgâ charitas, & pax Cœnobii penitùs interit, & mutuis plerumque vulneribus Frater uterque concidit. Ne unquam hoc præsumptionis Spiritu infleris, cogita; *quia scriptum est: quòd tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

## PUNCTUM TERTIUM.

*Vitetur in Monasterio omnis præsumptionis occasio.* Est enim ista præsumptio injuriosa ipsi præsumenti. Nemo quippe manifestiùs stultitiam, vel insaniam suam prodit, quàm qui privatus, velut in magistratu se gerit. Nullus se ipsum risui, & contemptui magis exponit, quàm qui sibi potestatem arrogat, quam non habet. Impunè namque cùm ei non pareatur, quid aliud sperabit, nisi contemptum, & despectum imperii sui? Et cùm vix quis obediat Superiori legitimo;

quomodò obediet Domino illegitimo? Pone igitur ambitionem tuam. Si vel uni præesse, aut dominari affectas, ipsi Christo præire affectas. Hac verò intolerabili superbiâ nunquid non ipsum Luciferum superas? Iste solùm altissimo voluit esse similis? tu superior. Time hinc & illius lapsum.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religiose! tua præsumptione nullam injuriam infers Superiori tuo? Omnis potestas à Deo est constituta. An non tua præsumptione injuriam infers Confratri tuo? Quis te constituit judicem ejus. An non tua præsumptione injuriam infers tibimet ipsi? Superbum sequitur humilitas. Dole de tua præsumptione. Propone

1. Nec Superioribus,
2. Nec Confratribus,
3. Nec tibi ipsi per præsumptionem injuriosus esse.



## DIES XVI.

### De mutua Fratrum obedientia.

Sibi invicem obediant Fratres. Cap. 71. v. 2.

## PUNCTUM PRIMUM.

O Dignum tanto Patre præceptum? *sibi invicem obediant Fratres!* Superio-

ribus etenim obedire, quis recuſet, niſi qui Religioſum, imò & Chriſtianum exuere velit; *qui vos audit, me audit?* At obedire æqualibus, aut etiam inferioribus hoc profectò maximæ ſubjectionis eſt. Vide ergo, qualiter hanc obedientiam præſtes, & quid in ea ſemper vites, Ut omnibus obedias, omnes juxta Apoſt[illegible]rum tibi Superiores æſtima. Tunc quippe ſolida pax in Cœnobio, quando quisque colitur pro Domino, quisque ſe alteri exhibet pro ſervo. Et verè felix, & digna eſt ſervitus, quâ quis redditur ſui ipſius Dominus. Et planè hic dominatur omnibus, qui omnium ſervit moribus. Sic à quovis colitur, & exambitur, ùt ſibi convenientiſſimus. Facilè autem etiam injurias, & convitia patitur, qui dominis ſuis ita licere, & decere arbitratur. Et revera hic in terris jam cœlum reperit. Reperies & tu, ſi occaſionem aliis obediendi, & ſerviendi ſponte quæras moroſiorum voluntati, & ſenſui te libenter accomodes, & honorem, amorem, atque ſervitium non tam offeras, quàm impendas. Ita cum *omni charitate, & ſolicitudine obedies.* Ita *per hanc obedientiæ viam ibis ad Deum.*

## PUNCTUM SECUNDUM.

*SIbi invicèm obediant Fratres; præmiſſô tamen Abbatis, aut Præpoſitorum, qui ab eo conſtituuntur imperio, cui non permitti-*

*mus privata imperia præponi.* Et ô pulchrum ordinem! primo quidem respici Superiorem, exin à juniore revereri Seniorem, denique omnes obedire sibi invicem, adeoque nullum ab hac lege exsortem, omnes ad eandem destinari libertatem, & servitutem. Hunc ordinem invertunt, qui potiùs privato ex amore agunt, quod Confratri, quàm Superiori placet. Hunc ordinem dehonestant, qui plùs juniorum, quàm Seniorum reverentur imperia. Hunc ordinem despiciunt, qui superbô superciliô omnibus dominari gestiunt. Sed ô æternum, ô æternum infelices, qui hunc non tenuerint ordinem! *sciant, quia per hanc obedientiæ viam non sint ituri ad Deum.* Ad quem vero deinde ibunt?

## PUNCTUM TERTIUM.

*SIbi invicem obediant Fratres.* Ad hoc oportet, ne *quis contentiosus reperiatur.* Nunquam enim ritè vel Superiori, vel Seniori, vel juniori obediet, qui sensui suo in omnibus credit, atque illum aliorum sententiæ præfert. Ab omni vera obedientia extorris est, qui velle suum in omnibus adimpleri vult. O quàm magnum incendium Cœnobii contentio non est? Omnem pacem, charitatem, & mutuam obedientiam absumit. Planè nil differt ab incendiario, qui contendit. Imò quantò periculosius contentionis ignis, quàm elementaris grassatur,

tan-

tantò majori cum periculo contentiosus toleratur. Tú ne tam infami, & summè omnium nocivô incendiô Monasterium tuum, domum Matris tuæ Ss. Religionis incendas, præ omnibus assuesce, nec opinione, nec verbulô, nec nutu, nec opere contrariô cuiquam contradicere, aut contravenire. Ad hoc cogita, quòd cùm obedientiam secundùm Regulam Ss. Patris Benedicti voveris, etiam omnibus sine contradictione subesse promiseris.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religiose! omnibus obedis? Superiores invicèm æstimate. An in ista mutua obedientia caves, ne juniorum imperia Superiorum, aut Seniorum jussionibus anteponas? Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis. An caves, ne contentiosus cuipiam, & in aliquo reperiaris? Si contentiones sunt inter vos, nonne animales estis? Dole igitur, quòd animum, studiumque totum huic S. Obedientiæ necdum addixeris. Propone

1. Obedientiam omnibus impendere;
2. Non tamen Superiorum imperiis alias jussiones præponere,
3. Aut in aliquo contentiosus esse.



# DIES XVII.
## De vera Devotione.

Zelum ferventissimo amore exerceant Monachi. Cap. 72. v. 3.

### PUNCTUM PRIMUM.

ZElus, quem Ss. P. N. *ferventissimo amore exercere Monachos* vult, aliud non est, quàm devotio. Devotio quippe est prompta, & fervida voluntas serviendi Deo. Hinc primò verus devotus semper curat esse devotior. Figura veræ devotionis est scala Jacob. Vidit Jacob in scala Angelos ascendentes & descendentes. Nunquid stantem quempiam, aut sedentem? Non est stare omninò in pendulo fragilis scalæ, neque in incerto hujus mortalis vitæ quicquam in eodem statu permanet. Non habemus hîc manentem civitatem, nec futuram adhuc possidemus; sed inquirimus. Aut ascendas necessè est, aut descendas: si attentas stare, ruas, necessè est. Minimè pro certo devotus est, qui devotior esse non vult. Et ubi incipis nolle fieri devotior, ibi etiam desinis esse devotus. Voluntas etenim serviendi Deo, cùm prompta, & fervida est, semper ambit meliora charismata. Nec contenta est mandata servare, sed etiam libenter, cum gaudio, & magnanimitate, atque profectu, eadem observat.

PUN-

## PUNCTUM SECUNDUM.

Z*Elum ferventiſſimo amore exerceant Monachi.* Hinc ſecundò verus devotus æquè in adverſis, quàm proſperis devotionem ſuam exhibet. Vera enim devotio in vera ſui ipſius ſubmiſſione, reſignatione, abnegatione, ac nihili penſione ſita eſt potiùs, quàm in ſenſibili ſapore, & dulcedine. Certè multis ad ſalutem utilius eſt, ariditatem, amaritudinemque cordis ſentire, quàm affectuoſa deſideria, & ſuavitatem. Magna ſubinde in hiſce & naturæ, & dæmonis deceptio eſt. Ille Deo valdè placet, qui fide, & amore divino plenus, quamvis totus aridus, tentatus, & deſolatus, juxta divinum beneplacitum ad Dei gloriam univerſa S. Regulæ præcepta, quantùm poteſt libenter exequitur. Nimis infidelis Deo eſt, qui quandò Deus illum conſolatur, Deo ſervire, ejusque mandata ſervare vult: ſed quandò ſpirituali conſolatione deſtituitur, mox à Deo recedit, & præcepta ſacræ Regulæ parvi pendit. Nonne talis nunquam veram devotionem obtinebit?

## PUNCTUM TERTIUM.

Z*Elum ferventiſſimo amore exerceant Monachi.* Hinc verus devotus ſemper ſecundùm fidem, ſpem, & charitatem ambulat. ſine his enim virtutibus nulla devo-

tio esse potest. In his consistit vita spiritualis, & spirituale perfectionis ædificium has tres habet portas. Unam scilicet ad Orientem, aliam ad aquilonem, tertiam ad meridiem. Porta in oriente est fides viva; quia per ipsam lux vera, & infallibilis nascitur in mente. Porta ad aquilonem spes firma; quia unusquisque, si hæsitaverit, & desperaverit, funditùs perit, si vero indubitatò speraverit, habebit, quodcunque petierit ad salutem. Porta ad meridiem charitas; quia igne amoris ardet. In meridiana etenim parte sol in altum ducitur; & fortitudo spei, in Dei & proximi dilectione sublevatur. O qui tantum secundum fidem, spem, & charitatem viveret, quàm ingens desiderium Deo serviendi jugiter haberet! ô qui per portas fidei, spei, & charitatis spirituale perfectionis ædificium conscenderet, quàm subitò ejus culmen attingeret? Ex harum virtutum defectu venit, ut fermè semper, in devotione langueas, nec nunquam in ea perseveres.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religiose! veram habes devotionem semper proficiendo in melius? Nescit tarda molimina Spiritûs S. gratia. An veram devotionem retines in adversis? Tentatio probat homines. An veram devotionem perennas per fidem, spem, & charita-

ritatem? Nunc autem tria manent fides, ſpes, charitas. Dole, quòd veræ devotioni hucusque non intenderis. Propone

1. Veram habere devotionem ſemper proficiendo.

2. Veram devotionem retinere in adverſis.

3. Veram devotionem conſervare per fidem, ſpem, & charitatem.



## DIES XVIII.

## De ſelectu Librorum.

Ad perfectionem converſationis ſunt doctrinæ Sanctorum. Cap. 73. v. 2.

## PUNCTUM PRIMUM.

VAldè multùm intereſt, qua librorum lectione quis utatur. Eundem equidem Spiritum legenti conferunt, quem in ſe continent. Unde Ss. P. N. verum ſuis inſtillaturus Spiritum Sanctorum, primò præſcribit S. Scripturam: *quæ enim pagina, aut quis ſermo divinæ authoritatis veteris, ac novi teſtamenti, non eſt rectiſſima norma vitæ humanæ?* Etenim cùm S. Scriptura divino ore tradita ſit, omnem veritatem, & perfectionem complectitur; dummodo eodem Spiritu, quô facta eſt, legatur. Nunquam equidem ingredietur in ſenſum Pauli, qui non uſu bonæ intentionis in lectione ejus,

&

& ſtudio aſſiduæ meditationis, ac piæ operationis Spiritum ejus imbiberit. Nunquam intelliget David, niſi ipſa experientia ipſos Pſalmorum affectus induerit. Sicque de reliquis. Oportet quoque præ omnibus, ut mundo corde legatur; quia in animam malevolam non intrabit ſapientia. O qui ita legeret, quàm citò doctus, quàm citò perfectus eſſet? Hôc legendi modô mirabilem planè ſcientiam & ſanctitatem adepti ſunt Ss. Patres in eremo; quamvis litteris nunquam vacaverint.

## PUNCTUM SECUNDUM.

SEcundò præſcribit *doctrinas ſanctorum Patrum. Quis liber ſanctorum Catholicorum Patrum hoc non reſonat, ut recto curſu perveniamus ad Creatorem noſtrum?* Ubi enim magis guſtes ſummæ ſanctitatis fructum, quàm in libris Ss. Patrum, qui utique aliter non ſcripſerunt, quàm vixerunt? In ipſis verus Spiritus Chriſti ſemper viguit. Hinc Religioſis, qui *ad majora doctrinæ, virtutumque culmina* anhelant, præ cæteris omnibus legendi ſunt. O quot non à vero Spiritu Chriſti, & Ss. Patris noſtri deficiunt, qui laxas doctrinas, & concluſiones Neothericorum ſive Aſcetarum, ſive Theologorum ſequuntur? Planè miſeri ac cœci in fine oculos aperient, quòd à cœcis ductoribus ſeducti, in ſummo cadendi in foveam infer-

inferni periculo sint constituti. Manebit semper S. Regulæ sua veritas: *Ecce lex, sub qua militare vis: si potes observare, ingredere; si vero non potes, liber discede; quia si aliquando aliter feceris, ab eo te damnandum scias, quem irrides.*

## PUNCTUM TERTIUM.

TErtiò præscribit *collationes Patrum instituta, & vitas eorum, sed & Regulam S. Patris nostri Basilii.* De his enim ait: *quid aliud sunt, nisi benè viventium, & obedientium Monachorum instrumenta virtutum?* Ipsemet exactè eorum vitas, & doctrinas secutus est. Verè quippè mentem illuminant ad discernendum verum à falso, ad separandum pretiosum à vili, ad cognoscendum, quomodo in via Dei ambulare debeamus. Nec solùm vim intellectivam ad capiendum sensum validè occupant? sed etiam vim affectivam mirô modô accendunt. Ipsi namque antiqui Monachi cunctis virtutibus, atque scientia perfecti, perfectionem desiderantibus & sermonem, & conversationem pro exemplo subministrant. Ubi enim aquam Divinæ Sapientiæ puriorem invenias, quàm quæ proximè fonte Apostolicæ Sapientiæ manat?

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religiose! præprimìs legis S. Scripturam? Quàm dulcia faucibus meis

elo-

eloquia tua? An legis Ss. Patres? Ipsi Spiritu Dei pleni erant. An legis collationes, & vitas &c. Ss. Patrum. Nec displiceant tibi parabolæ Seniorum. Dole, quòd hucusque omni alteri lectioni magìs intenderis, quàm illi; ad quam obligaris. Propone præprimis

1. S. Scripturam;
2. Ss. Patres,
3. Collationes &c. legere.



## DIES XIX.

### Quòd Deus velociter adest his, qui in veritate quærunt illum.

Antequam me invocetis, dicam vobis: Ecce adsum. Prolog. §. 2. v. 15.

### PUNCTUM PRIMUM.

TAnta est Divinæ Bonitatis immensitas, ùt teste Ss. Patre nostro his, qui in veritate quærunt illum, *antequam ipsum invocent, dicat: Ecce adsum.* Unde oportet primò magna ab ipso sperare. Nihil quippe Deo magìs proprium est, quàm magna tribuere. Ex hac spe omnia possibilia fiunt credenti? dummodo verè Deum quærat. Hinc Propheta ait; spera in Domino, & fac bonitatem; & inhabita terram, & pascêris in divi-

divitiis ejus. Sperans etenim non debet esse otiosus, sed contemptis sæculi bonis inhabitare cor suum, ne spinis vitiorum, fructu veró virtutum, exuberet. Tunc equidem abundantissimè pascêtur divitiis bonitatis Dei. Istud expertus est Ss. Pater noster; quandò vacua dolia, & horrea oleô, & frumentô per firmam suam fiduciam implevit, vel obstinatos Idololatras ad fidem convertit, vel dæmones solâ inflictâ alapâ fugavit. Magna & tu spera à Domino, omnia mox impetrabis; si tamen in veritate quæris illum.

## PUNCTUM SECUNDUM.

ANtequam me invocetis, dicam: Ecce adsum. Unde oportet secundô mox confugere in tribulationibus ad Dominum; statim namque eruet nos ex omni tribulatione. Deus enim refugium nostrum, & virtus, adjutor in tribulationibus est, quæ invenerunt nos nimis. Si equidem ad alia refugia confugis, ubi non est virtus, magis infirmaris, quàm confirmêris. Solus Deus refugium verum est; quia virtus est. Quò cùm confugeris, mox firmus eris. Non enim tu, aut alius tibi fortitudo erit, sed ille solùm tibi fortitudo erit, qui tuum refugium factus est. Omnes quippe alii, quantumvis potentes, gratiâ ejus indigent, sine qua nihil omnino possunt, aut valent. Vides, cur tam diuturnis tribulationibus vexatus

tus fueris. In veritate refugium tuum non quæsivisti. Ss. Pater tuus, quia in persecutione Florentii in Deo refugium quæsivit, per subitaneam hujus mortem in Deo adjutorium invenit.

## PUNCTUM TERTIUM.

*ANtequam me invocetis, dicam: Ecce adsum.* Unde oportet tertio beatitudinem suam petere. Non enim Deum in veritate quærit, nec Deus in cæteris omnibus petitis mox illi aderit, qui non præprimis Deum ipsum, unicam beatitudinem suam exquirit. Imples equidem tu Domine eos, qui nihil aliud desiderant præter te, & facis dignos te, sanctos, immaculatos, qui omnia reputant, ut stercora, ut lucrifaciant te solùm. Ecce! Domine Deus meus, summe; optime, omnipotentissime! inveni locum ubi tu habitas; quia in anima, quam creâsti ad imaginem tuam, quæ te solum quærit, & desiderat; quia non in illa, quæ te non quærit, & desiderat. Ergo erravi sicut ovis, quæ perierat, quærens te exterius, qui es interius, & multum laboravi quærens te extrà me, & tu habitas in me, si tamen ego desiderem te. Quære igitur anima mea, Deum tuum in te, hîc, & in æternum beata eris; quia tibi semper præstò erit beatitudo tua.

PUN-

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo ò Religioſe? magna à Deo ſperas? Quis ſperavit in Domino, & confuſus eſt? An mox ad eum in tribulationibus confugis? Exquiſivi Dominum, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. An Deum ipſum toto corde petis? Ego merces tua magna nimìs. Dole de tua diffidentia. Propone

1. Magna à Deo ſperare,
2. In tribulationibus mox ad Deum confugere.
3. Deum ipſum toto corde deſiderare, & in omnibus tibi ſtatim aderit.



## DIES XX.

### De Timore incomprehenſibilium judiciorum Dei.

Timorem Dei ante oculos ſemper ponens, oblivionem omnino fugiat. Cap. 7. §. 2. v. 9.

## PUNCTUM PRIMUM.

TImor Dei ex nulla alia conſideratione, quàm ex meditatione inſcrutabilis judicii Dei obtinetur. Judicia enim Dei abyſſus multa. Omnes eorum rationes Divinæ tantùm cogitationi reſervatæ ſunt, quibus ſin-

ſingula diſpenſantur. Si namque quæris, cur peccatoris vita prorogetur? Cur juſti incolatûs dies abbrevientur? Quare injuſtus proſperetur? Quare juſtus affligatur? Unde ſint belal, unde naufragium, unde terræ motus, ſiccitates, immodici imbres? Unde hic ſervus, ille liber, hic diteſcit, ille paupereſcit? Quare hic optimos nactus vitæ moderatores ſalvatur, ille peſſimis inſtructoribus traditus, quaſi per vim in peccato detinetur, & damnatur? Hæc ſanè omnia, ubi inciderint menti tuæ, fac memineris; quia judicia Dei ſunt abyſſus multa, fac *Timorem Dei*, juxta monitum Ss. Patris tui, *ſemper ante oculos tibi ponas.*

## PUNCTUM SECUNDUM.

O Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia Dei! multi ab Oriente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Jacob; filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. Non ſolùm Judæis hoc accidit; ſed multis quoque fidelibus. Nam Judas filius regni erat, audivitque cum aliis diſcipulis illud, ſedebitis ſuper ſedes duodecim, factus eſt autem gehennæ filius. At vero Æthiops, quamvis barbarus homo eſſet, unus tamen eorum factus eſt, qui ab ortu, atque occaſu erant, ſuntque venturi, ut cum Abraham, Iſaac, & Jacob æternîs bonîs fruantur. Non ergo nimium confidant, qui ſtant,

ſtant, ſed ſecum crebro illud repetant; qui ſtat, videat, ne cadat. Nec deſperent, qui ceciderunt, ſed dicant ſecum; nunquid qui cadet, non adjiciat, ut reſurgat? Omnes ſequantur hortamentum Ss. Patris, ut *timoris Dei oblivionem omninò fugiant.*

## PUNCTUM TERTIUM.

O Quàm tremenda Dei judicia! ſunt multi, qui ad ipſius cœli ferê verticem conſcenderunt, omnes virtutes numerô habuerunt, deſerta, deviaque loca à vita hominum aliena coluerunt; & tamen negligentiâ lapſi ad vitiorum barathrum devenerunt. Contraque ſunt non nulli, qui à vitiorum barathro commoti, cœlibem vitam acceperunt; tantumque virtute potuerunt, ut dæmones ejicerent, aliisque multis ſignis præfulgerent. Quamvis ergo neſciamus, quo judicio Deus iſta vel faciat, vel fieri ſinat, apud quem ſumma virtus eſt, & ſumma ſapientia, ſummaque juſtitia, nulla infirmitas, nulla temeritas, nulla iniquitas; ſalubriter tamen diſcimus non magnipendere ſeu bona, ſeu mala, quæ videmus eſſe bonis, maliſque communia, & illa bona quærere, quæ bonorum, atque illa mala maximè fugere, quæ propria ſunt malorum. Judicium enim Dei juſta omnia fuiſſe decernet. Ad hoc vero aſſequendum juvabit, ut quis ad mentem Ss. Patris noſtri *animo ſuo ſemper*

*revolvat, qualiter contemnentes Deum in gehennam pro peccatis incidunt, & vitam æternam, quæ timentibus Deum præparata est.*

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religiose! ob inscrutabilia judicia Dei timorem illius jugiter tibi ante oculos tuos ponis? Initium sapientiæ timor Domini. An ob inscrutabilia judicia Dei oblivionem timoris Domini omnino fugis? Qui timet Dominum, nihil trepidabit. An ob inscrutabilia judicia Dei, atque timorem Domini declinas à malo, & facis bonum? Timor Domini odit malum. Dole, quòd tam raro memor sis judiciorum Dei, atque hac de causa Dominum non timeas. Propone ob inscrutabilia judicia Dei

1. Timorem Dei jugiter tibi ante oculos ponere, &
2. Oblivionem ejus omnino fugere, atque
3. Ideo declinare à malo, & facere bonum.



## DIES XXI.

### De fuga peccati ob ejus nocumenta.

Custodiens se omni hora à peccatis, & vitiis. Cap. 7. v. 11.

PUN-

## PUNCTUM PRIMUM.

MErito Ss. Pater noſter nos hortatur, ut quivis *ſe cuſtodiat omni hora à peccatis, & vitiis.* Peccatum enim ſpoliat nos gratia Dei. O quantum eſt iſtud nocumentum! Ecce! Parentes noſtri comederunt, & aperti ſunt oculi amborum, & cognoverunt, quòd nudi eſſent. Nudati quippe propter peccatum ſupernæ gratiæ amictu, etiam ſenſibilis ſuæ ſpoliationis ſenſum acceperunt, ut per erubeſcentiam, quæ invadebat ipſos, certo ſcirent, in qnantum periculum ſe adduxiſſet mandati Dominici prævaricatio. Ah! cogita hîc, quomodo & à quanto faſtigio in profundum præcipitium dejecit illos Diaboli conſilium. Tanta ſiquidem gloria dudum circumdati, nunc folia ficûs conſuunt. Hoc diabolicæ deceptionis lucrum eſt. Hoc machinabatur illius conſultatio, ut non ſolùm non majora conferret, ſed & denudaret, & deſtitutos ab his, quæ habebant, oſtenderet. Tantum malum eſt peccatum, ut non ſolùm nos à ſuperna gratia alienos faciat, ſed ad multam confuſionem, & humilitatem nos deducat. Et cùm nos privat bonis, quæ jam poſſidebamus, omnem etiam fiduciam aufert. Fuge ergo peccatum quaſi à facie colubri.

## PUNCTUM SECUNDUM.

Jure *ſe quivis cuſtodiat omni hora à peccatis, & vitiis.* Peccatum enim ſpoliat quiete con-

conſcientiæ. O quantum eſt iſtud nocumentum! ecce tibi Cain? vix Fratricidium commiſerat, mox ingentibus conſcientiæ ſtimulis adactus, egreſſus eſt à facie Dei. Non potuit amplius mala illius conſcientia ſuſtinere faciem Domini, neque ſemetipſam ferre; ſed profugus huc, illuc terram peragravit quærens requiem, & nullibi inveniens. Ita enim ſe habet peccatum, ut priusquam fiat, & ad opus perveniat, obtenebret, & decipiat mentem. Poſtquam autem conſummatur, manifeſtè nobis ſuam abſurditatem proferat, & oſtendat. Unde brevis illa, & abſurda voluptas peccati continuum menti dolorem inſerit, conſcientiæque fiduciam aufert, & confuſione captam perfundit, tali peccatori neque ſomnus ſuavis, ſed terrore, & formidine plenus; neque cibus voluptatem præbet; neque amicorum colloquia ab urgente anxietate liberant. Carnificem enim interius geſtat ſe lancinantem, ita, ut poſt peccatum intolerabiles pœnas ſuſtineat, & judex ſui ipſius factus, & accuſator. Fuge ergo peccatum quaſi à facie colubri.

## PUNCTUM TERTIUM.

RECte *ſe quivis cuſtodiat omni hora à peccatis, & vitiis.* Peccatum enim hominem mortuo deteriorem facit. O quantum eſt iſtud nocumentum! ecce tibi Lazarum mor-


mortuum. Verbô Salvatoris reſuſcitatur ad vitam; at peccator verbô vitæ non ſanatur. Nec mihi dices, non clauſiſſe hunc oculos, nec in ſepulchro jacere, nec inſtitis detineri, nec poſtremo vermibus eſſe projectum; cùm multò pejoribus hic, quàm qui obierunt, vexetur. Non devorant vermes, ſed perturbationes animi omni feroci beſtiâ turculentiùs exagitant. Clauſi oculi ſunt mortuorum nihil prorſus cernentes; hic vero mille ſibi morbos oculis cernendo quotidie contrahit. Ille jacet in monumento ad peccandum jam immobilis; hic in ſepulchro malo à ſe ipſo intruſus, ingenti peccatorum mole obruitur. Dices: ſed hic corpus habet integrum? Magna res! ſi anima deperdita, & corrupta eſt. Quare tanto diſcrimine hôc melior eſt ille, quantò naturali ſolùm corruptioni ſubjectus eſt; hic vero, antequam ad illam perveniat, quam non effugiet, peccatorum undique fœdiſſimam putredinem ſibi in dies colligit. Fuge ergo peccatum, quaſi à facie colubri, quod tam infeliciter inficit, & perimit.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religioſe! fugis peccatum; quia gratia Dei privat? Ecce parturiit injuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. An fugis peccatum; quia quiete conſcientiæ ſpoliat? Non eſt ei benè, qui

est assiduus in malis. An fugis peccatum; quia mortem generat? Stipendia peccati mors. Dole, quòd peccatum hucusque non debito cum horrore vitaveris. Propone peccatum summoperè fugere

1. Ob privationem gratiæ,
2. Ob inquietudinem conscientiæ,
3. Ob generationem mortis.



## DIES XXII.

### De vitanda mala consuetudine.

Custodiens se omni hora à peccatis, & vitiis. Cap. 7. v. 11.

### PUNCTUM PRIMUM.

SI ab ullo vitio, aut peccato nos abstinere convenit, à nullo certe magìs nos abhorrere oportet, quàm à peccato consuetudinis. Hinc bene Ss. Pater præcipit, ut *custodiamus nos omni hora à peccatis, & vitiis;* quia cum tempore augentur, & consolidantur, ut ipso usu fiant insuperabilia. Cùm enim culpa in usum venerit, ei jam animus, etiam si appetat, debilius resistit; quia quot vicibus pravæ frequentationis adstringitur. quasi tot vinculis ad mentem ligatur. Tandem usitata culpa ita obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem. Conatur, & labitur: quia ubi

diu

diu spontè perstitit,& ibi,cùm noluerit, quasi coacta cedit. Tenent etenim pravæ consuetudines,quem semel ceperunt,atque quotidiè duriores existunt: & non nisi cum peccatoris vitâ finiuntur. Peccata siquidem quamvìs magna,& horrenda,cùm in consuetudinem venerint, aut parva esse, aut nulla creduntur,usque adeò, ut sine remorsu deinceps committantur. O quàm horrendus est usus peccatorum! cave,ne in hunc usum & tu venias.

## PUNCTUM SECUNDUM.

C*Ustodiat se omni hora à peccatis,& vitiis;* quia usus peccatorum est maxima pœna peccatoris, cùm dicat Propheta; Dominus immisit eis Spiritum erroris, ut faciant, quæ non conveniunt,sicut seducitur ebrius? An non usus peccati est pœna peccatoris, ubi Deo dicit Propheta: quid errare fecisti nos de viâ tuâ, obdurâsti corda nostra, ut non timeremus te? Sic multa commemorare possem, in quibus liquidò apparet, occultò Dei judiciô fieri,perversitate cordis, ut sit ipsum peccatum pœna præcedentis peccati. Hinc Apostolus ad Thessalonicenses scribit: pro eo, quôd dilectionem veritatis non receperunt,ut salvi fierent,& ideò mittit illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. Ecce peccati pœna peccatum est. Et ô quàm terribilis est ista pœna peccati! non erravero,

ro, ſi malum hujus pœnæ malo inferni præpoſuero: nam infernus non niſi propter malum culpæ, malum cenſeri debet.

## PUNCTUM TERTIUM.

CUſtodiat ſe omni hora à peccatis, & vitiis: quia uſus unius peccati plurima alia diverſa peccata parit. Nam cùm culpa culpæ adjungitur in uno genere peccati, aliæ quoque peccatorum ſpecies non vitantur. Unum equidem peccatum alterum, haud ſecùs ac annulus annulum in catenâ poſt ſe trahit. Cogitandum quippe eſt, quòd lux veritatis prævaricatorem unius legis deſerat, ut deſertus fiat cæcus, & cæcus in omnibus offendat, & ſemper in deteriùs cadendo in fundum ſine fundo cunctorum ſcelerum prolabatur. Et quantò plura peccata ſic committit, tantò uberiores theſauros iræ ſibi theſaurizat in die furoris Domini. O quàm abominabilis eſt iſte uſus peccati, qui tam multiplicia peccata, & peccatorum ſupplicia generat!

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergò, ô Religioſe! vitas conſuetudinem peccati, quia paulatim fit pœnè inſuperabilis? Peccator cùm in profundum venerit, contemnit. An vitas peccati conſuetudinem; quia pœna maxima peccatoris eſt?

Per

Per Dominum factum est confirmari cor gentium, ut obviàm irent ad bellum Israël, ut exterminarentur. An vitas consuetudinem peccati; quia plurima diversa peccata, & supplicia parit? Erit cubile draconum, & pascua struthionum, & occurrent dæmonia onocentauris. Dole, quod hucusque peccatum non statim ab initio extinxeris, ne in usum tibi verteretur. Propone saltem modò vitare malam consuetudinem

1. Quia pœnè insuperabilis fit;
2. Quia pœna maxima est;
3. Quia diversa generat peccata.



## DIES XXIII.

## De Religioso interiore.

Scrutatur corda, & renes Deus. Cap. 7. §. 2. v. 13.

### PUNCTUM PRIMUM.

PArùm proficiet, qui profectum suum in externis solùm Religionis exercitiis ponere voluerit. Deus cor mundum exigit; proùt Ss. Pater noster testatur: *scrutatur corda, & renes Deus.* Non placent ei sacrificia orationum, jejuniorum, laborum, atque vigiliarum, si cor immundum sit, ac vitiîs, & passionibûs refertum. Mundandum igitur

est primò ab affectibus malis juxta illud Salvatoris: Qui vult venire post me, abneget semetipsum. Primum equidem fundamentum perfectionis Religiosæ est abnegatio. Sine hac non poterit consummare ædificium Religionis; Sed inimici ejus incipient illudere ei dicentes: quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare. Abnegare autem semetipsum aliud non est, quàm propriis voluptatibus renunciare; ut qui superbus erat, non sit superbus; & iracundus non sit iracundus; & qui luxuriosus, non sit luxuriosus. Planè qui hôc modô cor suum non quotidiè emundat, nunquàm verus Religiosus erit; sed etiam per exactam disciplinæ exterioris observantiam *Deo per tonsuram mentiri noscetur; quia interioribûs adhuc operibûs sæculo servat fidem.*

## PUNCTUM SECUNDUM.

S*Crutatur corda, & renes Deus.* Cùm cor mundatum est à vitiosis affectibus, virtutibûs Religiosis exornandum est; secùs Dei oculis placere non poterit. Multùm Deo displicuit servus ille, qui licèt mnam suam non perdiderat, tamen cum eâ etiam nihil operatus est; ita & displicebit Religiosus, qui quamvis gratiam vocationis per malas affectiones non perdat, attamen cum eâ virtutes Religiosas non exercet. Imò sine humilitate, & mititate cordis, sine patientiâ, & charitate,

te, ſine obedientiâ, & ſubjectione nunquàm Religioſus erit. Eas enim Deus à Religioſo virtutes imprimìs requiret, ad quas gratiam vocationis contulit. Hos fructus ſi in Religione non protulerit, certò certiùs ceu arbor infructuoſa exſcindetur, & in ignem mittetur. Percurre ſingulas S. Regulæ virtutes. Vide, qualem fructum retuleris. Si nullum; time, poſt annum veniet, & fructum exiget Paterfamilias.

## PUNCTUM TERTIUM.

*SCrutatur corda, & renes Deus.* Non contentatur corde mundo, & virtutibûs ornatô; ſed ſicut ipſe cor ſemper ſcrutatur, ita vult, ut cor rurſùs ipſum intelligat. Non enim diu mundum erit, nec virtuoſum, ſi non jugiter & unicè cum Deo converſetur. Nam qui non inceſſanter mentem ſuam ad Deum revocat, mox ad terrenas conſolationes, vel inutiles cogitationes evagabitur. Unde deinde neceſſariò ſequetur ariditas cordis, & ex hac intermittetur tam utile, & homini Religioſo tam neceſſarium virtutum exercitium. Ab initio quìdem grave videbitur, & laborioſum, ſed cum tempore in conſuetudinem, & quaſi alteram naturam tranſibit, ut non poſſit ſe non convertere in omni loco, & occaſione, atque negotio ad Deum ſuum. Hinc non ſolùm à noxiis vitiis ſemper mundus, & ab omnibus externis liber

erit,

erit, verùm etiam de horâ in horam inenarrabilem fructum virtutum Religiosarum proferet. Quoties equidem aliquis ab omnibus rebus caducis abstractus ab intra se ad Deum convertit, toties Deus illi occurrens, novam ei gratiam infundit. Prô quàm lugendi sunt illi Religiosi, qui veram mortificationem, & quotidianum virtutum profectum parvi faciunt; quique ætatem, & vires in his, quæ præcipuè necessaria non sunt, absumunt, semper in eodem luto hærent, nec unquàm ad unionem cum Deo assurgunt!

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergò, ô Religiose! ab intra ambulas? Omnis decor Filiæ Regis ab intùs. An passiones cordis mortificas? Cor mundum crea in me Deus! an virtutes sacræ Regulæ exerces? Ecce! hæc sunt instrumenta artis spiritualis, quæ cum fuerint à nobis incessabiliter adimpleta, in die judicii reconsignantur. An semper ab intra cum Deo conversaris? Ambula coram me, & esto perfectus. Dole, quòd exterioribus Ordinis exercitiis duntaxàt intentus, interiora Religiosi hominis parùm aut nihil curaveris. Propone ab intra semper ambulare, &

1. Passiones cordis mortificare,
2. Virtutes S. Regulæ cordi implantare,
3. Cum Deo præsente semper conversari.

DIES



## DIES XXIV.

### De vivacitate Fidei.

Succinctîs fide lumbîs noſtrîs per ducatum Evangelii pergamus. Prolog. §. 3. v. 18.

## PUNCTUM PRIMUM.

FIdes cùm ſit fundamentum omnium virtutum, meritò Ss. Pater eandem nobis commendat in prologo Ss. Regulæ: *ſuccinctîs fide lumbîs noſtrîs per ducatum Evangelii pergamus.* Verùm nunquàm fide per ducatum Evangelii pergemus, niſi noſtra fides viva ſit. Viva non eſt, quando una veritas non æquè, ac altera creditur. Omnis enim veritas fidei ab infallibili Dei veritate promanat; hinc & omnis certam, & infallibilem credibilitatem meretur. A verâ fide alienus eſt, qui in uno illius articulo offendit. Credi vult Deus veritates ſuas omnes, nullam examinari. Verùm nónne tu ex illis es, qui aliquas ſolùm fidei veritates vivaciter credis? Recenſe ſingulos fidei articulos, prô! quot, & quantis languidam, & vix non mortuam adhibes credulitatem? Crede ergò illi in omnibus, qui omninò non fallit; crede illi in omnibus, qui credentibus præmia æternæ vitæ dabit; crede illi, qui vel in uno in-

incredulis æterna ſupplicia gehennæ ardoribûs irrogabit. Quæ tunc erit fidei gloria, quæ pœna perfidiæ, cùm judicii dies venerit?

## PUNCTUM SECUNDUM.

SUccinctis *fide lumbis nostris per ducatum Evangelii pergamus.* Vivâ fide per ducatum Evangelii non pergit, qui de aliquâ veritate fidei dubitat, aut in eâ hæſitat. Qui enim hæſitaverit in corde ſuo, non credat, quòd aliquam gratiam ſit accepturus homo ille. Omnia quidem poſſibilia ſunt credenti, ſed non fluctuanti. Hinc Petrus, cùm ſuper aquas ad Magiſtrum ſuum properâſſet, atque parùm timuiſſet, mox cœpit mergi; mox meruit ab Auctore fidei increpari: modicæ fidei, quare dubitâſti? Firmitas fidei ſemper ſecura eſt, absque timore eſt, absque dubitatione eſt; quia certa eſt, quia infallibilis eſt, quia neceſſariò impleri debet: jota enim unum, aut apex unus non præteribit à lege; donec omnia fiant. Priùs cœlum, & terra tranſierint, quàm verba Domini præterierint. Habésne talem & tu fidem vivam? Hanc habuit Ss. Pater tuus, quando falcaſtrum Gothi ſuper aquas natare, & Maurum ſuper lacum currere fecit.

Pun-

## PUNCTUM TERTIUM.

S*Uccinctis fide lumbis nostris per ducatum Evangelii pergamus*. Vivâ fide per ducatum Evangelii non pergit, qui doctrinam Evangelii non opere complet. Fides enim si viva est, prava desideria frænat, effrænes appetitus cohibet, feroces cordis motus sedat, virtutes inserit, mollia calcat, aspera tolerat, in prosperis non erigitur, in adversis non dejicitur. Nihil est tam arduum, & tam durum, quod non aggrediatur propter Deum, qui vivâ fide credit in Deum. Tunc quippe verè fideles sumus, quando, quod ore profitemur, opere complemus. In vanum fidem suam jactat, si quæ fidei sunt, non agat. Fides namque sine operibus mortua est. Fides sine operibus non Christiani, sed dæmonis est. Tu qualem habes, an vivam? An mortuam? O gratiosam, & amabilem fidei virtutem, quis te non in seipso vivificet, quæ fundamentum es omnis gratiæ, connectis membra capiti suo Christo, quæ miracula operaris, in omnibus triumphas, atque æternâ felicitate perseverantes in te coronas?

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergò, ô Religiose! omnes fidei articulos æqualiter, & vivaciter credis? Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. An vivaciter sine timore, & hæsitatione credis? In-

crepavit incredulitatem eorum. An vivaciter credis operando id, quod credis? Qui credit Deo, attendit mandatis ejus. Dole, quòd vivam hucusque fidem non habueris. Propone

1. Vivaciter omnes fidei articulos æqualiter credere;
2. Vivaciter ſine timore illos credere;
3. Vivaciter eos opere complere.



## DIES XXV.

### De ſui Diffidentia.

Malum ſibi reputet. Cap. 4. Inſtr. 43.

### PUNCTUM PRIMUM.

Diffidentia ſui ſummè neceſſaria eſt Religioſo, ne in præſumptionem cadat. Inde eſt, quòd Ss. Pater ſeriò illum hortetur, ut *malum ſibi reputet.* Malum verò ſemper ſibi reputabit, qui cogitaverit, quòd ſine gratiâ Dei nihil ſit, nihilque poſſit; quòd ſine Divinæ gratiæ auxilio in omnia peccata ſit lapſurus; quod non ſit peccatum, quod fecit homo, quod ipſe facere non poſſit. Malum ſibi reputabit, cùm conſideraverit; ſi Angeli corruerunt, multo magis, qui Angelis paulo minùs pares evaſerunt, lapſum timere debent, ne fortè poſt parilitatem illam Angelorum,

quam

quam virginitatis sibi exercitatione acquisierant, videntes filias hominum, quia pulchræ sunt ad ipsas carnalis concupiscentiæ instinctu devolvantur, dicatúrque eis. Ego dixi: Dii estis, & Filii excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, & sicut unus de principibus cadetis. Solet enim elatio, & præsumptio corporis impuritate castigari, ut quisque humiliatus sic saltem discat sibi ipsi diffidere. O quàm longè à præsumptione abfuit Ss. Pater noster? Cùm Rusticus ille filium suum mortuum peteret resuscitari, mox hoc Apostolorum esse, se verò peccatorem existere clamavit. Ita se ipsum agnovit. Ita sibi ipsi diffidit.

## PUNCTUM SECUNDUM.

Diffidentia sui ita necessaria est Religioso, ut pusillanimitatem tamen arceat. Nam & Ss. Pater, qui jubet, ut *malum sibi reputet*, eodem capite præcipit, *de Dei misericordia nunquàm desperare.* Vera etenim diffidentia sui nullam admittit desperationem. Hinc Apostolus, cùm patitur aliquid, quod non vult, diffidit quidem sibi, at non desperat; sed ter propterea rogat Dominum. Et licèt statim non exaudiatur, contentus est, & sufficit ei gratia, quam à Domino ad resistendum carni obtinet. Audivit enim, quòd virtus in infirmitate perficitur. Sic & tu minimè desperare debes, cùm quid humani pateris,

aut tuam fragilitatem in te recognoſcis. Facienti enim, quòd in ſe eſt, Deus non denegabit gratiam. Imo quo magis tuam miſeriam recognoſcis, eò majorem tibi miſericors Deus miſericordiam exhibebit. Dat equidem ibi ſuam gratiam, ubi vaſa vacua invenerit.

## PUNCTUM TERTIUM.

DIffidentia ſui ita Religioſo neceſſaria eſt, ut eo firmius in Deum ſperet, quò magis ſibi ipſi diffidit. Hinc Ss. Pater præcepto, ut *malum ſibi reputet*, mox præpoſuit & aliud, ut *ſpem ſuam Deo committat*. Nemo enim firmiùs ſperat, quàm qui nihil ſe poſſe autumat. Ipſa miſeria ſua in ſpem illum erigit. Scit enim non confundi illum, qui ſperat in Domino. Credit Divinæ promiſſioni, quæ fallere non poteſt, & ideo omnia ſe poſſe in eo, qui ſe confortat, certus eſt. Quo verò plura, & majora ſic à Domino ſperat, & ex cognitione propriæ infirmitatis ampliori gratiarum actione Deo omne bonum cum Apoſtolo adſcribit, eò ampliora, & uberiora gratiarum chariſmata ſine periculo alicujus præſumptionis, vel elationis percipit. Quàm dives, quàm potens eſſem, ſi hôc modô & mihi diffiderem, & ſpem meam Deo committerem? Ad ejusmodi diffidentiam, & confidentiam Ss. Patris mei mortuus ille ruſtici filius revixit.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religiose! diffidentia tui pellit à te præsumptionem? Arrogantiam odivi. An pellit à te pusillanimitatem? Humiliare Deo, & exspecta manus ejus. An auget spem tuam? Ego in misericordiâ tuâ speravi. Dole, quòd in diffidentiâ tui toties erraveris. Propone

1. Tibi diffidere, ne præsumas;
2. Tibi diffidere, ne desperes;
3. Tibi diffidere, ut ampliùs speres.

**************************

## DIES XXVI.

### De Felicitate Pacificorum.

Inquire pacem, & persequere eam. Prolog. v. 13.

## PUNCTUM PRIMUM.

QUis enarraverit immensam illam felicitatem, quâ anima fruitur, quæ pacem cum Deo habet? Factus enim est in pace locus ejus, nec est umbraculum Domini, nisi ubi pax est, ubi conscientia sine peccato est, ubi anima munda est. Ubi zelus, & discordia, ibi non est protector Deus. Locus Dei non est, nisi in animâ, quæ pacem habet. Quæ ergò anima non habet pacem, sciat se non esse lo-

locum Dei. Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Hæc eſt Salvatoris hæreditas. Ibi in Jeruſalem, quæ interpretatur pax, confregit potentias, arcum, ſcutum, gladium, & bellum peccati. Imò ipſe ibi factus eſt pax noſtra, quando chyrographum tulit, & ſuſpendit in cruce. Quomodò namque ſapientia facit ſapientes, & juſtitia juſtos, & ſanctificatio Sanctos, ſic & ipſa pax facit nos pacatos. Si autem Chriſtus credentium pax eſt; quicunque ſine pace eſt, conſequenter Chriſtum non habet. O miſerrimam ſortem illius, qui Chriſtum non habet, nihil in eo reperitur, quàm ſempiternus horror! ô feliciſſimam ſortem illius, qui Chriſtum habet, cœleſtem beatitudinem prægustat! *inquire* ergò ad mentem Ss. Patris tui cum Deo *pacem, & perſequere eam.*

## PUNCTUM SECUNDUM.

Quis enarraverit felicitatem Religioſi, qui pacem cum proximo poſſidet? Inenarrabili dilectionis dulcedine jugiter paſcitur, ut ſæpiùs cum Prophetâ exclamet: quàm bonum, & quàm jucundum fratres habitare in unum! ô quàm bonum, ô quàm jucundum, ô quàm divinum eſt habitare Fratres in unum, ut unum ſit cor, una voluntas, una omnium anima, & una forma vivendi; nam talem domum, vel mentem, in qua pax iſta dominatur, diabolus intrare non poteſt. Tan-

ta eſt eminentia hujus virtutis, quòd de eâ Propheta priùs miraretur,quàm oſtenderet, quid eſſet,vel quid utilitatis afferet, quando dixit: Ecce. O quàm mirabilem utilitatem prædicavit, quando ſubjunxit: quàm bonum,& quàm jucundum. Sed ſcire debes, ô Frater! quòd quædam bona ſunt, ſed non jucunda,uti vigiliæ,carnis macerationes &c.; quia caro in his non jucundatur,ſed læditur. Alia ſunt jucunda,ſed non bona,uti commeſſationes,& ſimilia. Hæc enim agentes lætantur,cùm male fecerint, & exultant in rebus peſſimis. O Monache! non poteris invenire in præſenti unum,quod ſit bonum,& jucundum. Cupis tamen illud invenire? *Inquire pacem,& perſequere eam.* Hæc eſt ſola virtus,quæ habet bonum,& jucundum. Hæc eſt illa feliciſſima bonitas,quæ facit unius moris habitare in domo, ut ſimul vivere, ſimúlque mori ſemper optemus.

## PUNCTUM TERTIUM.

Quis enarravetit felicitatem animæ, quæ pacem ſecum ipsâ retinet? In hac nulla amplius paſſio animum occupat,nulla deſideria accendunt,nulla perturbatio turbat,nulla triſtitia dominatur. An non hîc ſtatus eſt Beatorum? An non quis per hanc pacem talem felicitatem obtinet,quàm nemo comprehendere poteſt,niſi qui tenet? Nunquàm tamen hâc felicitate fruetur, qui non priùs omnes

nes passiones, concupiscentiásque frænaverit, Justitia enim, & pax osculatæ sunt. O Monache! hanc ergò *inquire pacem, & persequere eam.* Hæc pax est, quæ exspoliat hominem servitute vitiorum, dat nomen ingenuum, mutat cum conditione personam, filium facit ex servo, amicum facit ex Deo, patrem reddit ex Domino. Filius Dei esse incipit, qui ita in se pacificus esse cœpit. Quanta est hujus pacis retributio, hæreditatem possidere cum Christo?

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergò, ô Religiose! felicitate pacis frueris: quia pacem habes cum Deo? Quis ei restitit, & pacem habuit? An felicitate pacis potiris; quia pacem habes cum proximo? In tribus placuit spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus: concordia Fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier benè secum consentientes. An felicitate pacis gaudes; quia pacem tecum ipso habes? Beati pacifici; quoniam Filii Dei vocabuntur. Dole, quòd hucusque felicitatem pacis nec agnoveris, nec gustaveris. Propone in hunc finem;

1. Pacem cum Deo,
2. Pacem cum proximo,
3. Pacem tecum ipso conservare.

DIES

# DIES XXVII.

## De tribus perfectiorum Religiosorum Tentationibus.

Cogitationes malas cordi suo advenientes ad Christum allidere. Cap. 4. Instr. 50.

## PUNCTUM PRIMUM.

VAriæ, & multiplices sunt tentationes Religiosorum; at multùm nocivæ existunt, quæ sub specie boni insidiantur. Talis primò est, desiderium prædicandi, & convertendi animas. Isthôc desideriô in tantum non nemo coarctatur, ut quiescere nequeat; donec impleatur. Timet enim propheticum incurrere maledictum, si quæ abscondito accepit frumenta, abscondat in populis. Timet contra Evangelium facere, nisi quæ in aure audivit, prædicaret super tecta. At miser non videt, quòd potiùs se prædicare gestiat, quàm verbum Dei. Non attendit, quod occultè solitudinis, & monasticæ disciplinæ, pertæsus liberiorem aërem suspiret. Planè oportet, ùt Ss. Pater injungit has *cogitationes malas cordi suo advenientes ad Christum allidere.* Nec quisquam enim sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquàm Aa-

ron. Quomodo namque prædicabit, nisi mittatur? Monachi primarium officium est plangere, & orare pro peccatis suis, & totius mundi. Quod si à Deo ad conversionem animarum vocandus sit, per Superiorum voluntatem voluntas Dei jam ei innotescet. Prô! quot mores suos perverterunt, dum alios converterunt?

## PUNCTUM SECUNDUM.

SEcundo talis nociva tentatio Religioso est præposterus amor solitudinis; dum se à Confratrum consortio omnino abstrahere nititur. Cogitat enim in solitudine multo copiosiores fructus spiritûs se percepturum; at necessè est, ut istæ *malæ cogitationes cordi advenientes ad Christum allidantur.* Est firma sententia Ss. Patris: *Monachus nil agat, nisi quod communis Monasterii Regula, vel Majorum cohortantur exempla.* Aliud esset, si communis Monasterii Regula esset, contra Regulam, vel Majorum exempla, ut locô colloquii Sancti, aut ædificatorii verba duntaxàt scurrilia, otiosa, & risum atque iras, dissensiones moventia audirentur. In hoc casu oporteret Deo magìs obedire, quàm hominibus, qui præcipit: Cavete à scandalis. Væ mundo à scandalis. Fugite mundum. Secùs præposterus amor solitudinis, & abstractionis à Fratribus semper est nocivus. Quantos enim charitate Dei & proximi ferventes solitudo

non

non suscepit,& vel tepefactos evomuit, vel remissos retinuit? Propter charitatem agenda,vel omittenda sunt omnia.

## PUNCTUM TERTIUM.

TErtio talis nociva Monacho tentatio est indiscreta aviditas corpus per abstinentiam,vigilias,& alias carnis macerationes affligendi. Ad vitam quidem gratiæ conservandam tam necessaria est mortificatio carnis,quàm necessaria est spiratio, ac respiratio ad vitam corporis; at valdè periculosa est, si sit indiscreta. Hinc convenit ejusmodi *malas cogitationes cordi suo advenientes ad Christum allidere.* Non vult Deus, ut corpus destruatur, sed ut concupiscentiæ carnis per moderatam afflictionem domentur. Rationabile in omnibus exigit à nobis obsequium. Sanè qui hanc discretionis regulam non sequuntur,non solùm sibi,sed toti communitati molesti fient,& graves. Prô! quot non omnem mortificationem abjecerunt, qui supra vires primitùs corpus afflixerunt?

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo,ô Monache! tentationem convertendi animas allidis ad Christum? Ecce! ego mitto vos. An tentationem, & amorem præposterum solitudinis allidis ad Christum? Væ soli!an tentationem indiscretæ mortifica-

tionis ad Chriſtum allidis? Unusquisque proprium donum habet ex Deo, juxta quod mortificatio Chriſti in corpore circumferenda eſt. Dole, quod hîſce tentationibûs & tu deceptus fueris. Propone

1. Præpoſterum deſiderium convertendi animas,

2. Solitudinem, & abſtractionem contra Regulam obſervandi,

3. Corpus ſupra vires gratiæ, & naturæ macerandi ſemper abnegare.

## DIES XXVIII.

## IN FESTO SS. APOST. SIMONIS ET JUDÆ.

### De afflictione Juſtorum.

Propter te morte totâ die afficimur; æſtimati ſumus ùt oves occiſionis. Cap. 7.

### PUNCTUM PRIMUM.

PLanè neceſſaria eſt afflictio juſto, ut probetur virtus ejus. Undè in perſonâ Juſtorum teſte Ss. Patre noſtro Benedicto S. Scriptura dicit: *propter te morte tota die afficimur; æſtimati ſumus ùt oves occiſionis.* Nemo namque *in ipsâ obedientiâ durîs & contra-*

*trariis rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis injuriis tacita conscientia amplecti patientiam* poterit, nisi adversa sentiat. Nemo *omni vilitate, & extremitate contentus erit*, nisi defectum in rebus necessariis patiatur. Nemo se *ad omnia, quæ sibi injunguntur, velut operarium malum, & indignum verè judicabit*, nisi ad vilia servitia deputetur. Et sic de reliquis virtutibus. Tentatio probat, an veræ, an fictæ; an cælo, an supplicio dignæ sint. Sequere ergo Ss. Apostolos Simonem, & Judam, qui fideles in tentationibus cum Christo permanserunt, nec passi sunt se avelli ab ejus præceptis, & consiliis, & fideliter virtutes Ss. Regulæ exerce, licet varie tenteris. Sic Deo & Ss. Ordini virtutem tuam probabis.

## PUNCTUM SECUNDUM.

P*Ropter te mortificamur tota die; æstimati sumus ut oves occisionis.* Hoc necessarium est Religioso, ut virtus ejus purificetur. Nullus equidem reperitur ab ipso mundi exordio verus palmes, qui non tribulatione purgatus sit. Semper & justum sequuntur sui manes. Nemo sine nævo. Hinc Dominus justitias quoque judicabit. Bonum tibi, si per tribulationem, & afflictionem tuæ jam purgatæ sint. Ideò tot persecutiones, tot tormenta, imò mortem ipsam Ss. Apostoli nostri subierunt, ut purum amoris sui

sacri-

ſacrificium Deo offerrent. Tolle enim charitati patientiam, quæret, quæ ſua ſunt, non quæ JEſu Chriſti, imo nullis radicibus, aut viribus perſeverabit. Sequere igitur Ss. Simonem, & Judam in patientia, ut virtutes tuæ ab omni inperfectione purgentur. Melius eſt hic pati, quàm in altero mundo.

## PUNCTUM TERTIUM.

P*Ropter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus, ùt oves occiſionis.* Hoc neceſſarium eſt Religioſo, ut virtus ejus in cœlo coronetur. Nullus namque in cœlo Monachus niſi Martyr. Oportuit & Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam. Paſſi ſunt & Ss. Apoſtoli noſtri, & calicem paſſionis uſque ad fundum ebiberunt. Quid dicis, quid agis, quid cogitas, ô Religioſe! cœlum paras aſcendere, & regnum cæli invadere? & interrogas, ne quæ tibi difficultas occurrat in itinere, ne quid aſperum tibi in via accidat, aut laborioſum, & non erubeſcis? Non pudore oppreſſus ſub terra temetipſum defodis? Quidquid agas, ad cœlum non evades, niſi probè contuſus. Unica via ad cœlum eſt, via S. Crucis. Quò plura in hac via ſuſtinueris, eò amplior te merces manebit in Patria.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religioſe! probam virtutis ſuſtines per patientiam? Patientia probatio-

bationem operatur. An libenter purificationem virtutis ſuſtines per patientiam? Charitas patiens eſt, omnia ſuſtinet. An coronam virtutis per patientiam tibi paras? Fructum afferunt in patientia. Dole, quòd ad exemplum Ss. Apoſtolorum Simonis, & Judæ patientiam amplexus non fueris. Propone

1. Virtutem tuam per patientiam probare,
2. Purificare,
3. Coronare.



## DIES XXIX.

### De dignis pœnitentiæ fructibus.

Mala ſua præterita cum lachrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri, de ipſis malis de cætero emendare.

Cap. 4. Inſtr. 58.

## PUNCTUM PRIMUM.

Cum ſine virtute pœnitentiæ nullus ſit verus Monachus, utpote cujus officium proprium eſt continuo plangere; hinc Ss. Pater rectè quemvis noſtrum monet: *Mala ſua præterita cum lachrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri, & de ipſis malis de cætero emendare.* Dignus quippe fructus pœnitentiæ primo eſt, ut quamdiu aliquis adhuc vitiis, & concupiſcentiis peccati tentatur, tamdiu peccata ſua contra ſe

ſta-

ſtatuat, & deſuper compungatur. Sic enim ex perſona pœnitentis loquitur S. Scriptura. Peccatum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi. Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino. Non enim remiſſionem culpæ præteritæ, nec præſervationem à futura merebitur, qui non aſſiduo peccata, affectiones, & inclinationes malas cum fletu, aut gemitu planxerit. Nequaquam dignus erit dicere: & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Ad hunc fructum pœnitentiæ tamdiu faciendum aſtringetur, quamdiu pravorum actuum recordatione mordebitur. Ita Dominus præcipit: iniquitatum tuarum non recordabor; tu vero memento. Hoc modo veniam aſſecutus eſt, qui dixit: quoniam iniquitatem meam ego cognoſco; cogitabo pro peccato meo.

## PUNCTUM SECUNDUM.

M*Ala ſua præterita cum lachrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri, & de ipſis malis de cætero emendare.* Alter hinc fructus pœnitentiæ eſt, ſi quis non ſolum pœnitentia, ſed aliis quoque operibus, quibus remiſſio peccatorum promiſſa eſt, pro peccatis ſuis ſatisfacere ſtudeat. Tale eſt primò charitas; charitas enim operit multitudinem peccatorum. Secundò afflictio cordis, & corporis; & ſic quippe teſtatur Pro-

phe-

pheta ; vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte univerſa delicta mea. Tertiò miſericordia ; & fides ; ſic namque legitur: per miſericordiam, & fidem purgantur peccata. Quartò remiſſio injuriæ; ſi dimiſeritis hominibus peccata ſua, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis peccata veſtra. Quintò interceſſio Sanctorum ; ſcriptum eſt enim : *Qui ſcit fratrem ſuum non peccare ad mortem; petat, & dabit Deus vitam peccanti ad mortem.* O quantas vias ad miſericordiam obtinendam nobis non patefecit clementia Salvatoris? Nemo ſanè ſalutem cupiens, deſperatione frangi poteſt, cum videat tantis remediis ſe invitari ad vitam.

## PUNCTUM TERTIUM.

M*Ala ſua præterita cum lacbrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri & de ipſis malis de cætero emendare.* Ex hoc enim ſequitur tertius, & perfectus fructus pœnitentiæ, ut nequaquam amplius admittamus peccata de quibus dolemus, vel quibus remordetur conſcientia noſtra. Porrò indicium ſatisfactionis, & indulgentiæ eſt, expuliſſe affectus vitiorum de cordibus noſtris. Noverit ſiquidem unusquisque nondum penitùs ſe abſolutum à priſtinis vitiis, quamdiu imago commiſſorum malorum, aut conſimilium criminum ſibi præluſerit ante oculos ſuos, dum ſatisfactioni, gemitibus-

que inhæret, & eorum, non dicam, delectatio, sed vel tenuis cogitatio turbaverit mentis suæ arcana. Is ergo, qui pro satisfactione invigilat, sciat tunc se à criminibus absolutum, ac de præteritis culpis veniam suscepisse, cùm non senserit, cor suum perstringi illecebris, aut imaginatione earumdem. Hinc indulgentiæ judex residet in conscientia nostra, qui nobis indicat remissionem peccatorum. An & te jam absolvit?

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religiose? ad faciendos dignos fructus pœnitentiæ peccata tua contra te statuis? Peccatum meum contra me est semper. An opera, quibus remissio peccatorum promissa est, exerces? Dignos fructus pœnitentiæ facite. An obtines fructum pœnitentiæ, ut nulla amplius concupiscentia te mordeat? Gravium peccatorum tunc accipit pœnitentia finem, quando affectus eorum consumuntur per bonam conversationem. Dole, quòd hos fructus colligere neglexeris. Propone in hunc finem

1. Semper compungi super peccato tuo,
2. Opera satisfactoria exercere, & per hæc
3. Memoriam, & concupiscentiam præteritorum peccatorum delere.

DIES



# DIES XXX.

## De Amicitia.

Charitatem fraternitatis caſto impendant amore. Cap. 72. v. 8.

## PUNCTUM PRIMUM.

NIhil præponendum eſt charitati. Hæc autem ſtabilitur per indiſſolubilem amicitiam. Ad hanc nos hortatur Ss. Pater, quando jubet: *charitatem fraternitatis caſto impendant amore.* Nemo vero hanc charitatem obtinebit, niſi primo agnoſcat, unde naſcatur. Neque enim amicitiam ſeu charitatem iſtam indiſſolubile vinculum dilectionis, neque gratia commendationis, neque magnitudo officii, neque neceſſitas, ſed ſola ſimilitudo virtutum parit, ac unit. Hæc eſt charitas, quæ nullis unquam caſibus ſcinditur, quam intervalla locorum, aut temporum diſſociare, aut removere non prævalent, imo mors ipſa non divellit. Quamdiu amici in virtute, & perfectione pares erunt, tamdiu ſtabit iſta amicitia. Quamprimum diſſimiles extabunt, finietur quoque charitas. Licet namque fortiores imperfectos tolerent, ipſi tamen imperfecti plurimas cauſas commotionum, & diſſenſionum arripiunt; haud ſecus ac infirmi infirmitates ſuas impu-

tant miniſtris, quamvis ſolicite eis inſerviant. Utrobique vitio inſitæ infirmitatis iſtud contingit. O qui ergo ſeipſum prius curaret, ac virtuoſum redderet, quàm ſemper cum proximo charitatem conſervaret!

## PUNCTUM SECUNDUM.

*CHaritatem fraternitatis caſto impendant amore.* Ad hoc neceſſe eſt ſecundò, ut alta fundamenta patientiæ jactentur. Primum conſiſtit in contemptu mundanæ ſubſtantiæ, & omnium rerum exteriorum. Valde enim injuſtum eſt, ut poſt abrenunciationem mundi aliquid præferatur pretioſiſſimæ dilectioni. Secundum eſt, ut unusquisque ſic reſecet proprias voluntates, ne ſe judicet ſapientem, atque per hoc amplius acquieſcat, judicio ſuo, quàm proximi. Tertium, ut ſciat omnia etiam quæ utilia, ac neceſſaria reputantur poſtponenda eſſe bono pacis, & charitatis. Quartum, ut credat penitùs iraſcendum non eſſe ex cauſis juſtis, ſive injuſtis. Quintum, ut curare deſideret iram fratris etiam injuſtè contra ſe conceptam eodem modo quo ſuam, ſciens ſibi æqualiter eſſe nocivam fratris triſtitiam, ac ſi ipſe contra illum contriſtetur, niſi eam repulerit de mente fratris, quantum in ſe eſt. Quicunque iſta tenuerit, nec in ſe, nec in fratribus diſpendium charitatis patietur. An obſervas?

PUN-

## PUNCTUM TERTIUM.

C*Haritatem fraternitatis casto impendant amore.* Ad hoc necesse est tertio, ut charitatem quidem omnibus, sed amicitiam non nisi paucis exhibeamus. Primam namque etiam inimicis exhibere obligamur; at amicitiam, cùm tantùm inter pares virtute subsistat, non nisi paucis exhibere possumus. Pauci enim sunt, qui verè ad perfectionem tendant, aut perfecti jam sint. Ita Jacob Patriarcha vir justus omnes quidem duodecim filios suos dilexit, sed præ cæteris Joseph. Et cur? Quoniam Joseph, utpote Christi typum gerens, dulciùs ac indulgentius inhærebat affectui Patris. Sic Christus Dominus omnes suos discipulos intimo, & Divino dilexit amore, præcipuo tamen Joannem, qui de seipso semper scribit: Discipulus, quem diligebat JEsus. Hæc quippe dilectio unius non designat charitatis teporem circa alios, sed largiorem amoris abundantiam circa unum, qui sua virginitate hoc meruit Ista equidem est vera, ordinataque charitas, quæ nullum odiens, omnes amans, quosdam jure meritorum plus diligit. Hoc & SS. Pater præcipit, dum ait: *Non unus plus ametur, quàm alius, nisi quem in bonis actibus, aut obedientia invenerit meliorem.*

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religiose! amicitiam colis cum tibi in virtute similibus? Anima

Jonathæ conglutinata eſt animæ David, & dilexit eum Jonathas quaſi animam ſuam. An, ne lædas amicitiam, alta fundamenta patientiæ jactas? Expoliavit ſe Jonathas tunica ſua, & dedit David. An ad indiſſolubilem amicitiam habendam cum paucis eandem inis? Vir amicabilis ad ſocietatem, magis amicus erit, quàm frater. Dole, quòd hanc amicitiam hucusque colere non ſtudueris. Propone ergo ad hanc colendam

1. Amicitiam inire cum tibi in virtute ſimilibus,

2. Amicitiam per patientiam conſervare,

3. Amicitiam paucitate amicorum ſtabilire.



## DIES XXXI.

## Recollectio Menſtrua.

Diverte à malo, & fac bonum. Prolog. v. 13.

### PUNCTUM PRIMUM.

PRima plane occupatio ſicut Ss. Patris in deſerto Sublacenſi fuit juxta Prophetam *divertere à malo, & facere bonum*; ita quoque fuit continuum ipſius negotium, ut de tempore ad tempus quò magis à malo recederet, eò magis ad bonum contenderet. In iſto quippe omnis perfectio ſanctitatis conſiſtit. An ſequeris illum quoad obligationes

ſtatûs

ſtatûs tui erga Deum? An inſcrutabilia judicia Dei tibi ante oculos ſemper ponis ut *à malo recedas?* Initium ſapientiæ timor Domini. An *ad faciendum bonum* magna à Deo ſperas? Quis ſperavit in Domino, & confuſus eſt? An ſine timore, vel hæſitatione credis in Deum, & quæ credis, opere comples? Qui credit Deo, attendit mandatis ejus. Profecto ſi mortem ubique ſuſpectam haberes, ſemper in timore Dei, fide, & ſpe in Deum ſtares.

## PUNCTUM SECUNDUM.

AN ſequeris Ss. Patrem tuum in obligationibus ſtatûs tui erga Religionem? An *ad divertendum à malo* fugis avaritiæ malum? Omnes in viam ſuam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam ſuam, à ſummo uſque ad noviſſimum. An ſenſûs tuos etiam in itinere benè claudis! Inſatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis. An examen nocturnum ideo rite inſtituis? Si nosmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur à Domino. An dignos pœnitentiæ fructus facis? Peccatum meum contra me eſt ſemper. An ad *faciendum bonum* ſæpe probas ſpiritum tuum utrum Ss. Patris tui ſit? Probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt. An in puritate, compunctione, & intentione cordis oras Roſarium? In æternum perire non poteſt, quisquis devote B. Virginem invocat. An in omni loco reve-

reris S. Angelum tuum cuſtodem? Ne contemnendum putes, quia non dimittet, cùm peccaveris. An crebro S. Regulam legis? Ecce lex, ſub qua militare vis. An præprimis Ss. Scripturam, collationes, & vitas, & alios libros catholicorum Patrum legis? Spiritu Dei pleni ſunt. Certe ſi omni momento mortem proſpiceres, ſemper hoc modo *à malo declinares*, *& faceres bonum.*

## PUNCTUM TERTIUM.

AN ſequeris Ss. Patrem tuum in obligationibus ſtatûs tui erga proximum tuum? An *ad declinandum à malo* abſtines à ſuſpicionibus? Dum Uxor Putipharis pallium Joſeph Domino ſuo monſtrâſſet, valde iratus eſt contra Joſeph. An fugis adulationis vitium? Qui adulantur partibus, eunt in perditionem. An *ad faciendum bonum* perpendis felicitatem pacificorum? In tribus placuit ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo, & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorum, & vir, & mulier benè ſecum conſentientes. An veram amicitiam colis? Expoliavit ſe Jonathas tunica ſua, & dedit David. An obedientiam Confratribus impendis? per hanc itur ad Deum. Vere ſi ſemper inſtantis mortis potius, quam longioris vitæ recordareris, faciliter iſta fraternæ charitatis munia quotidie obires.

PUN-

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ſequeris Ss. Patrem tuum in obligationibus ſtatûs tui erga temetipſum? An *ad declinandum à malo* fugis ob ejus nocumenta omne peccatum maxime omiſſionis, & conſuetudinis malæ? Fuge peccatum quaſi à facie colubri. An abhorres anxietatem? Miſerationes Domini ſuper omnia opera ejus. An vitas præſumptionem? Superbum ſequitur humilitas. An diffidis tibimet ipſi? Arrogantiam odivi. An *ad faciendum bonum* veram foves devotionem? Nunc autem tria manent hæc, fides, ſpes, & charitas. An ab intra ambulas? Omnis decor Filiæ Regis ab intus. An probam, purificationem, & coronam virtutis tuæ exſpectas à patientia tua? Fructum afferunt in patientia. Absque dubio ita *recederes à malo*, *& faceres bonum*, ſi corpus tuum ſemper ceu cadaver fœdiſſimum aſpiceres. Dole, quòd tuis obligationibus rurſus non ſatisfeceris iſto menſe. Propone meliora. Pœnitentiam age; ſecus ùt fur in nocte, ita repentinus ſuper te veniet interitus.



# NOVEMBER.

## DIES I.

## IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

## De Cultu Sanctorum.

In Sanctorum Festivitatibus, sicut diximus Dominico die agendum, ita agatur. Cap. 14. v. 1.

## PUNCTUM PRIMUM.

UT Ss. Pater noster ad cultum Sanctorum nos incitaret, præcipit nobis, ut eorum Festivitates ea devotione, qua Dominicum diem, peragamus. *In Sanctorum Festivitatibus, sicut diximus Dominico die agendum, ita agatur.* Ipsemet singulari devotione ad eos afficiebatur. Hinc in monte Cassino oraculum beati Martini, & S. Joannis construxit: S. Maurum vero, in Gallias abeuntem, Capsula Ss. Reliquiarum donavit. Primo igitur à nobis requirit, ut Sanctos honoremus Psalmis. Digni sunt; quia virtuti semper honor debetur. Digni sunt; quia sedes Dei semper fuerunt, & adhuc sunt. Sedes quippe Dei est, in quo plenitudo scientiæ, & charitatis inhabitat. Digni sunt; quia Divinus sermo ascendit super eos, ut per ipsos quàm plurimi salventur. Digni sunt; quia coronam justitiæ ipsis repositam receperunt, & gloria, & honore à Deo coronati sunt. Ex his conclude, quàm ferventer Deus in Sanctis suis laudandus sit, qui tanto eos amore, & beatitudine prosequitur.

PUN-

## PUNCTUM SECUNDUM.

IN *Sanctorum festivitatibus, sicut diximus Dominico die agendum, ita agatur.* Hinc secundo requirit, ut Sanctos devote in orationibus nostris invocemus. Tanta siquidem charitate Deus illos prosequitur, ut propter eorum merita, & memoriam salutem tribuat supplicantibus. Unde aqud Isaiam dicit; protegam civitatem istam, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum, adeo enim diligit Deus justitiam, ut etiam posteros Sanctorum non suo merito, sed majorum virtute tueatur. Et si Moyses à sua intercessione pro populo in terris desistere noluit; quamvis hoc ipsum juberet Deus: quanto putas, ardore intercedet pro nobis quivis in cœlo Sanctus, dum à nobis rogatur, cùm in cœlo charitas perfecta sit? Ipsi namque agnoscunt pericula, miserias, & necessitates nostras multo melius in Deo, quàm si nobis præsentes jugiter astarent. Ipsi quoque, quia salutem nostram, ùt suam exoptant, continuo intercedunt pro nobis. Ex his æstima, qua fiducia Sanctos in orationibus tuis invocare debeas.

## PUNCTUM TERTIUM.

IN *Sanctorum Festivitatibus, sicut diximus Dominico die agendum, ita agatur; excepto quòd lectiones ad ipsum diem pertinentes dican-*

*dicantur.* Hinc tertio requirit, ut vitas Sanctorum legamus, quatenus imitemur. Quidquid in ipſis ſcriptum eſt, ad noſtram ſalutem, & informationem ſcriptum eſt. Equidem Deus propter nos Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, Virgines dedit, ut eorum virtutes ſectando, gloriam quoque ipſorum obtineremus. Ideo etiam narrantur geſta Sanctorum, ut ad imitationem corda provocentur infirmorum. Cumque victricia eorum facta commemorantur, contra vitiorum prælia debilia noſtra confirmantur, fitque, ut mens eo minus inter certamina trepidet, quo ante ſe poſitos tot virorum fortium triumphos videt. Virtus quippe Majorum vitam noſtram fovet, & eorum pœnitentia ſpem veniæ nobis confert. Neque vero ſimus contenti ſi externas eorum actiones imitemur, ſed quam maxime ſequamur internas. Solis namque corticibus repletur, qui cor bene operantium imitari negligit. Ex his judica; quantam gloriam ſanctis tribuas, dum eorum dicta, & facta in vita tua exprimis. Toties novam ipſis à Deo accidentalem gloriam acquiris. Viſitabunt autem te in morte, ſicut eos colueris.


## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religioſe, colis ſanctos Pſalmis? Laudare Dominum in Sanctis ejus. An Sanctos colis invocatione? Ite ad Job;

Job

Job ſervus meus orabit pro vobis, faciem ejus ſuſcipiam. An Sanctos colis imitatione? Multi cibi in novalibus Patrum. Dole, quòd hoc modo Sanctos hucusque non colueris. Propone

1. Pſalmis,
2. Invocatione,
3. Imitatione illos ſtudioſius deinceps venerari.



## DIES II.

## IN COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

### De conſolando dolentes in purgatorio animas.

Dolentem conſolari. Cap. 4. Inſtr. 19.

## PUNCTUM PRIMUM.

Quis magis dolet, quàm anima in purgatorio detenta? Hinc recte, & ad mentem Ss. Patris noſtri applicabis illi inſtrumentum iſtud; *dolentem conſolari.* Plane conſolatione tua indiget. Quales enim putas pœnas animæ in purgatorio tolerant? Si omnes pœnæ, tormenta, afflictiones, quæ in mundo cogitari poſſent, minori, quæ in purgatorio habetur pœnæ, & tormento comparen-

parentur, solatia erunt. Mallet enim quilibet viventium omnes, quæ hic videntur, pœnæ, & tormenta, si illas experientia nosceret pœnas, usque ad finem mundi omnibus his simul sine remedio cruciari pœnis, quas omnes homines ab Adam hucusque sigillatim pertulerunt, quàm uno die in purgatorio minori, quæ illic habetur pœna, torqueri. Unum est, quo differant ab infernalibus pœnis, quòd istæ finem non exspectant, sed incrementum in die judicii. Ita S. Augustino testatus est, qui pœnas purgatorii expertus est. Ergo animabus in purgatorio compatere. Consolare illas hodie precibus, & sacrificiis. Qua mensura misericordiam eis mensus fueris, remetietur tibi.

## PUNCTUM SECUNDUM.

DOlentem consolari. Consolatione dignæ sunt animæ purgantes. Tamdiu enim in illo purgatorio moras habebunt, quàmdiu minuta earum peccata, lignum, fœnum, stipula consumantur. Nec dicas, quid ad me, quamdiu moras habeam, si tamen ad vitam æternam perrexero. Etenim ignis ille purgatorius durior; & diuturnior erit, quàm cogitari potest. Ecce! de die judicii scriptum est: Erit dies unus tanquam mille anni, & mille anni, tanquam dies unus idem senti de purgatorio. Ibi una hora in pœnis mille anni tibi videbitur. Et quis scit, an non pluri-

pluribus diebus, mensibus, aut annis per illum ignem sis transiturus? Compatere igitur animabus purgantibus. Mitte digitum tuum per unum saltem momentum in ignem, ut ex momentaneo dolore discas æstimare brevem dolorem purgatorii, atque eundem ab illis per opera pœnitentiæ avertere studeas. Esto misericors, ut & tu misericordiam consequaris.

## PUNCTUM TERTIUM.

D*Olentem consolari.* Consolatione dignæ sunt animæ purgantes. Ingenti quippe desiderio afficiuntur fruendi Deo. Sicut autem in inferno pœna maxima est, quòd damnati priventur visione Dei; ita in purgatorio gravissimum est, quòd à fruitione, & visione Dei animæ purgantes retardentur. Tanto enim majore dolore ex hac privatione afficiuntur, quanto altiori cognitione, & amore Dei præditæ sunt. Atque eo magis affliguntur ex dilatione Visionis Beatificæ, quo magis Dei unionem desiderant. Si enim sponsa ex amore languet, si fortis ùt mors dilectio; quanto putas dolore affici animam, quæ cupit esse cum Christo? Agnoscit dilectum, & hinc quiescere non potest; donec eo potiatur. Compatere ergo animabus in purgatorio. Juva eas variis virtutum actibus, maxime autem desiderio cœlestis Patriæ. Si vel uno momento illis visionem Dei

ſui acceleraveris; æternum ſe tibi gratas exhibebunt. Cogita & hic quàm maxime, quòd tibi in tali ſtatu velles fieri, ut & animabus illud facias.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religioſe! dolentes in purgatorio animas conſolaris oratione, & ſacrificiis? Judas facta collatione duodecim millia drachmas argenti miſit Jeroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium; Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur. An dolentes in purgatorio animas pœnitentiæ operibus conſolaris? Panem, & vinum tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue. An dolentes in purgatorio animas ſolaris virtutum exercitio, maxime autem cœleſtis Patriæ deſiderio? Spes, quæ differtur, affligit animam. Dole, quòd hucusque miſericordiam animabus defunctis non exhibueris. Propone dolentes in purgatorio animas

1. Orationibus, & ſacrificiis,
2. Operibus pœnitentiæ,
3. Virtutum exercitio, & cœleſtis Patriæ deſiderio conſolari.



## DIES III.

### De exercitio amoris Dei.

Inprimis Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute. Cap. 4. Inſtr. 1.

Pun-

## PUNCTUM PRIMUM.

TOta Vita Ss. Patris noſtri exercitium ſancti Amoris fuit, & tota ipſius Regula ordinatur ad charitatem. Hinc ſi Filii tam amantiſſimi Patris eſſe volumus, *inprimis Dominum Deum diligamus ex toto corde.* Quid eſt autem Dominum Deum diligere ex toto corde, niſi ſuper omnia Deum diligere? Si ergo cor tuum affectat celſitudinem; quære illam in Deo: unus ſuper omnia excelſus eſt. Si affectat honorem; quære illum in Deo: unus glorioſus eſt in æternum. Si affectat voluptatem; quære illam in Deo; nil blandius eſt ipſius charitate, nec amatur quicquam ſalubrius, quàm illa præ cunctis formoſa, & luminoſa veritas. Si affectat ſtudium ſcientiæ; quære illud in Deo: ipſe novit omnia, & dat ſcientiam parvulis. Si affectat quietem; quære illam in Deo: nulla certa quies præter Dominum. Si affectat ſatietatem, atque abundantiam; quære illam in Deo: ipſe plenitudo, & indeficiens copia eſt incorruptibilis ſuavitatis. Si affectat multa poſſidere; quære illa in Deo: ipſe poſſidet omnia. Si affectat excellentiam; quære illam in Deo: ipſô excellentius nihil eſt. Si affectat vindictam; quære illam in Deô: ipſò juſtiùs nemo vindicat. Sic ergò ſuper omnia & in omnibus ama Deum, & toties dilectionem Dei ex toto corde exerce, quoties aliud extra illum deſideraveris.

## PUNCTUM SECUNDUM.

I*Nprimis Dominum Deum diligere ex tota anima.* Quid eſt Dominum Deum diligere ex tota anima,niſi eum agnoſcere, ejus voluntati ſe ſubmittere,eum ſemper præſentem cogitare? Et quid utilius cognoſcere potes,quàm Deum? Hunc ſi noſcis, nôſti omnia,& beatus eris. Et quid juſtius,quàm voluntatem ſuam divinæ voluntati ſubjicere? Qui ſe plenariè illi ſubjicit nunquàm à juſtitiâ, & ſanctitate deflectit; in omnibus proſperis, & adverſis quieſcit, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinat. Et quid delectabilius, quàm Deum ſemper ſibi præſentem in memoriâ retinere? Ecce! ipſe implet te totum; quia non eſſes,niſi caperes illum. Ecce! totus in ipſo es, ex quo omnia, per quem omnia,in quo omnia. Ecce! adeſt tibi Deus tuus,Dominus tuus,ſummus, optimus, potentiſſimus; miſericordiſſimus, & juſtiſſimus; pulcherrimus, & fortiſſimus; ſtabilis & incomprehenſibilis; immutabilis mutans omnia; nunquam novus, nunquàm vetus,innovans omnia, & in vetuſtatem perducens ſuperbos, & neſciunt. Quid igitur deinceps aliud cogitabis,ô anima mea! quam Deum tuum? Quid voles, niſi voluntatem Dei tui? Cujus recordaberis, niſi Dei tui? Planè ſi non ſæpè per diem intellectum, voluntatem, & memoriam in hoc Divino amore exercueris, non uteris hîs nobiliſſimîs poten-

tentiis ad finem,ad quem creatæ ſunt; non amas Deum ex tota anima tua.

## PUNCTUM TERTIUM.

*IMprimis Dominum Deum diligere ex tota virtute.* Quid eſt Dominum Deum diligere ex totâ virtute, quàm in omnibus amare? Quidquid igitur cogitas; ex amore Dei cogita. Quidquid deſideras, vel amas; ex amore Dei deſidera,vel ama. Quidquid dicis, audis, guſtas, tangis, olfacis; omnia ex amore Dei dic, audi, guſta, tange, olfacito. Quidquid agis, omittis, aut pateris; omnia ex radice charitatis procedant. Videbitur quidem hoc leve, ac facile eſſe; at in praxi multâ,& magnâ abnegatione indiget. Continuô opus eſt exercitiô, ut hôc modô Deum ex totâ virtute diligas. Hoc enim eſt, quod Apoſtolus nobis inculcat: omnia quæcunque facitis ſive in verbo, ſive in opere, omnia in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti facite. Verùm grave ſit hoc ſancti amoris exercitium? In nullo alio ſanè amorem noſtrum Deo magìs probamus, quàm in abnegatione, patientiâ, & exantlatione magnorum laborum. Eo plus diliges quo plus pro Deo ſuſtinueris. Et tanto acceptior eris Deo, quanto ardentior fueris in amore. Plus valet apud eum amor,quàm opus. Vile hoc eſt, quantumvìs magnum ſit,apud ipſum; ſi ex amore non proceſſerit. Magnum eſt, quan-

tumvìs vile ſit, apud eum; ſi ex magno amore provenerit.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergò, ô Religioſe! exerces amorem Dei ex toto corde in omni deſiderio cordis tui? Inquietum erit cor tuum; donec requieſcat in eo bono, ad quod creatum eſt. An exerces amorem Dei ex totâ animâ ſæpè per diem omnes ejus potentias Divino amori impendendo? Diligamus & nos Deum; quoniam prior dilexit nos. An exerces amorem Dei ex totâ virtute in omnibus ipſum amando? In omni virtute tuâ dilige eum, qui te fecit. Dole, quod hucusque mandatum primum tam rarò opere compleveris. Propone quotidiè

1. In omni deſideriô tuô,
2. Per omnes potentias animæ tuæ,
3. In omni actione, & paſſione tuâ Deum diligere.



## DIES IV.

### De tribus patientiæ gradibus.

Patientiam amplectatur. Cap. 7. gr. 4. v. 37.

Pun-

# PUNCTUM PRIMUM.

Quanta mala à dæmone, à mundo, à carne passus sit Ss. Pater, & quàm patienter eadem pertulerit, constat ex S. Gregorio in vita ipsius. Unde non mirum, quòd sæpiùs patientiam nobis commendet: *Patientiam amplectatur.* Patientia nobis quotidiè necessaria est, ut facientes voluntatem Dei reportemus repromissiones. Tres autem gradus sunt patientiæ. Primus est, ut *tacitâ conscientiâ in duris, & contrariis rebus patientiam amplectatur.* Facilè ad injurias tacet, qui bonam habet conscientiam. Veritas liberabit eum. Etiam mala conscientia dum tacet, faciliùs absolvitur. Christus ipsemet defendit pœnitentem, & patientem Magdalenam contra Pharisæum. Facillimè demùm semetipsum perferet, qui tacere suas infirmitates sive animi, sive corporis, atque Deo soli conqueri didicerit. In hac sanctâ taciturnitate abyssus miseriæ humanæ abyssum Misericordiæ Divinæ invocat, & mox exauditur. Vix equidem in tentationibus, ariditatibus, aut quibusvis tribulationibus tacitè intùs ad cor te recipis atque Divinæ voluntati te resignas, statim tibi ex altô auxilium mittetur. Quid hactenùs verbîs querulosîs, aut impatientiâ tuâ profecisti. Malum auxisti, non sublevâsti. Tace, & meliùs habebis.

## PUNCTUM SECUNDUM.

P*Atientiam amplectatur.* Alter hujus patientiæ gradus eſt,ut *pro Domino univerſa etiam contraria ſuſtineat.* Amor omne amarum dulce reddit,ac ſapidum. Quis etenim non libenter patiatur ; dum contemplatur Dominum priorem nos per paſſionem ſuam dilexiſſe? Quis non libenter ſequatur veſtigia ejus, qui ex amore noſtri prior paſſus eſt relinquens nobis exemplum? Quis non ex amore poſſidendi, & fruendi ſummô bonô libenter patiatur; quandoquidem oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam? Sola vera patientia eſt, quæ & ipſum amat, quem portat. Nam tolerare, ſed odiſſe,non eſt virtus manſuetudinis, ſed velamentum furoris. Hinc quæcunque,dum pateris, ex amore ejus, qui prior dilexit te, ſuſtine. Quid enim te juvaret,ſi in eo,quod exteriùs portas,interiùs doleres. Noli tantæ virtutis ſacrificium,quod integrum foris immolas,intùs malitiæ peſte corrumpere. Tantò deterior culpa interioris doloris coram diſtricto judice fit,quanto magis ſibi ante homines virtutis ſpeciem vendicat.

## PUNCTUM TERTIUM.

P*Atientiam amplectatur.* Tertiùs denique hujus patientiæ gradus eſt,ut quis *ſuſtinens non laſſeſcat, vel diſcedat, dicente Scriptura :*

*ptura: qui perſeveraverit usque in finem, hic ſalvus erit.* Nil prodeſt, ſi ab initiô tacitè crucem, & ex amore portes, ſed in fine in murmur, aut odium erumpas. Calicem paſſionis uſque ad ultimam guttam ebibit is, qui dixit: conſummatum eſt. Hujus exemplô cor confortandum eſt, quando diuturnitate doloris frangi incipit. Unicus quippe aſpectus Crucifixi omnes noſtras adverſitates in tantum dulcorare poteſt, ut ſine tribulatione eſſe nolemus. Quid enim adverſa omnia noſtra reſpectu paſſionis ipſius ſunt, quàm flores in comparatione ſpinarum? Deinde quid nobis nocere poterit, ſi Deus nobiſcum, & in nobis, & pro nobis eſt? Adverſentur nobis omnia; omnia etiam nobis cooperabuntur ad ſalutem. Et ſi ſalutem per patientiam conſequamur; quid refert, quantum, aut quale, vel à quô patiamur? Imò hoc unum refert, ut quàm plurimùm, & conſtanter patiamur. Patientiâ gloriæ pondus in cœlis ſemper augetur.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergò, ô Religioſe! tacitè adverſa ſuſtines? Stultus profert iram ſuam. An ex amore adverſa pateris? Charitas benigna eſt. An perſeveras in patientiâ? Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis adfuturam gloriam, quæ revelabitur in nobis. Dole, quòd necdum primum gradum patientiæ aſcenderis. Propone

1. Tacitè,
2. Amorosè,
3. Perſeveranter adverſitates in hoc ſæculo tolerare.



## DIES V.

### De mediis conſervandi caſtitatem uſque ad mortem.

Caſtitatem amare. Cap. 4. Inſtr. 63.

## PUNCTUM PRIMUM.

AMantiſſimus caſtitatis ſemper fuit Ss. Pater noſter; ideo ad ſuperandam carnis tentationem corpus ſuum in ſpinis volutavit; ideo carnem ſuam totâ vitâ maceravit; ideo ſuis ſequacibus omnibus *caſtitatem amare* præcepit. Nemo ſincerè amat, qui eam non jugiter conſervare ſatagit. Conſervatur autem primò corporis caſtigatione. Etenim ſi corpus delicatè nutritur, & ſenſus ſuâ vivacitate liberè fruuntur; neceſſariò caro recalcitrabit. Quamprimùm duro victu, & amictu, jejuniîs, flagellîs, atque ſenſuum externorum continentiâ frænatur, omnis mox carnalis concupiſcentia diſſipatur. Senſus quippe exteriores portæ ſunt, per quas mors aſcendit. Gula quoque fomes, & mater libidinis eſt. Ventrem cibô diſtentum, & vini

ni potionibûs irrigatum voluptas genitalium naturaliter ſequitur. Prô! multi conqueruntur de graviſſimis carnis tentationibus; at commiſeratione digni non ſunt. Quomodo incendium extinguet, qui oleum flammæ jugiter adjicit? Qui ardenti corpuſculo fomenta ignium miniſtrat? Planè non ita ſentiebant Sancti. S. Hilarion, cùm in juventute acribûs luxuriæ ſtimulîs agitaretur, ita corpus ſuum alloquebatur: ô aſine! tu recalcitras contra me: at ego tibi locò avenæ paleas, & verbera dabo, onera tibi intolerabilia imponam; quousque non ampliùs impura ſomnies, ſed ſolùm cogites, ne præ laſſitudine, & defectu virium moriaris. Et ecce! hæc agendo perfectam uſque ad mortem caſtimoniam poſſedit. Sequere cum diſcretione, & conſiliô Patris ſpiritualis illum, ſi verè caſtitatem amas.

## PUNCTUM SECUNDUM.

C*Aſtitatem amare.* Verè amabis, ſi otium vitaveris. Conſervatur enim caſtitas utili labore, & ſtudiô Ss. Litterarum. Quæ enim fuit iniquitas Sodomæ? Otium. Quæ cauſa adulterii Davidis? Otium. Domi otioſus hærebat. Multam ſiquidem malitiam docuit otioſitas; & nihil agendo, malè agere diſcimus. Tribûs namque funibûs nos Dæmon ad peccatum pertrahit. Primus eſt oblivio obligationum ſtatûs, alter otium, & ter-

tertius concupiſcentia carnis. Oblivio o-bligationum ſtatûs poſt ſe otium; otium verò poſt ſe concupiſcentiam carnis trahit. Quod ſi ſoliciti ſimus,ne ſpiritus noſter obligationum ſuarum obliviſcatur, nunquàm otioſi erimus. Si nunquàm otioſi ſumus, nec locus tentationi carnis remanebit. Impoſſibile demùm eſt,ut cogitatio, & delectatio noſtra ſimul verſetur circa ſtudia ſacræ Scripturæ, & circa objecta carnis; unum enim dum cogitamus, alterius obliviſcimur. Hinc ama ſtudia Ss. Litterarum, & carnis concupiſcentias non amabis. Verùm qui hîs ſolùm mediîs caſtitatem conſervare nititur,teſte Climaco,ſimilis eſt homini in mare lapſo,qui unâ manu natando mortem evadere cogitat. Induſtriæ noſtræ ſemper jungenda eſt diffidentia ſui,& confidentia in Deum. Sic nunquam etiam à decumanis tentationum procellis ſuffocabimur.

## PUNCTUM TERTIUM.

C*Aſtitatem amare.* Non amabis,niſi cautè occaſiones peccandi vitaveris. Vis ſcire ita eſſe? Accipe exempla! Samſon leone fortior,& ſaxô durior,qui & unus, & nudus mille perſecutus eſt armatos, in Dalilæ molleſcit amplexibus. Salomon, per quem ſe cecinit ipſa Sapientia,qui diſputavit à cedris Libani uſque ad hyſſopum, quæ exit per parietem; receſſit à Domino,quia amator mulie-

lierum fuit. Nihil periculoſius viro, quàm fœmina; nec fœminæ quicquam periculoſius, quàm vir: uterque ignis, uterque ſtipula. Hinc rectè monet Spiritus ſanctus: in mediô mulierum noli commorari. O quot Viri ſancti, quia occaſiones non vitârunt, ſanctitatem cum caſtitate exuerunt! quod non ex puro amore Dei fœminas aut hoſpitiô ſuſceperunt, aut legem Dei docuerunt, & paulatim deficiente amore Dei, atque ſuccedente naturali affectu tandem impuro igne abſumpti ſunt! rectè ad exemplum, & inſtructionem ſuorum diſcipulorum Ss. Pater nec per unam noctem & quidem præſentibus aliis ſuis Religioſis cum ſorore etiam vult pernoctare. Nonne ſecurior eris & tu à vulnere, ſi hoſtem fugias, quam ſi cum eo congrediaris?

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religioſe! amas caſtitatem mortificando corpus tuum? Servo malevolo tortura, & compedes. An amas caſtitatem operando? Mitte ſervum in operationem, ne vacet. An amas caſtitatem vitando pericula? Crede mihi, Epiſcopus ſum, veritatem loquor, non mentior: cedros Libani, & gregum arietes ſub hac ſpecie corruiſſe vidi, de quorum caſu non magis præſumebam, quam Gregorii Nazianzeni, & Ambroſii. Fuge ergò laqueos mulierum, qui non es Da-

vide

vide ſanctior, nec Samſone fortior, nec ſapientior Salomone. *S. Aug.* Dole, quòd iſta media non adhibueris. Propone caſtitatem amare

1. Mortificando corpus,
2. Diligenter operando,
3. Vitando occaſiones.



## DIES VI.

### De exercitio voti caſtitatis.

Caſtitatem amare. Cap. 4. v. 63.

### PUNCTUM PRIMUM.

Dum Ss. Pater jubet *caſtitatem amare*, etiam præcipit, ut caſtitatem exerceas. Quod enim cor amat, circa illud & omnis ejus cogitatio, & actio occupatur. Duplex verò caſtitatis datur exercitium. *U*no opus eſt tempore tentationis, altero tempore pacis. Caſtitatem hinc exercebis primo tempore tentationis. Vix enim dum minima ſe ſuggerit cogitatio libidinis, mox eam tene, & allide ad Chriſtum. Nil quippe ſic omnem libidinis ſenſum ſtatim aufert, quam pia converſio animi ad Crucifixum. Juvat, ut & cogites nobilitatem animæ, & ſublimitatem ſtatus tui; mox enim contemnes fœditatem carnis. *U*nde Spiritus ſanctus monet: Fili! glo-

glorifica animam tuam, & da illi honorem ſecundum meritum ſuum: peccantem in animam ſuam quis juſtificabit, & honorificabit exhonorantem animam ſuàm? Oportet, ut quoque viriliter tentationi violentæ reſiſtas, vim vi repellas. Qui enim diu quaſi cum tentatione ludit, timendum, ne mortem ſecùs introitum delectationis poſitam incurrat. Tu ſequere exemplum S. Bernardi: quando ab inimico tentaris. Vade retro Satana; quoniam non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed magìs ſapientia tua inimica eſt Deo!

## PUNCTUM SECUNDUM.

UT *caſtitatem amare*, opere comprobes, ſecundo tempore tentationis Abbati, vel Seniori ſpirituali cogitationes malas aperi. Dæmon enim in nullius alterius peccati confeſſione tantùm confunditur, quantum in confeſſione tentationis lubricæ. Mox totus pudefactus abſcedit. Hoc expertus eſt juvenis ille Eremita, qui quoties impuram tentationem ſenſit, toties Senem, ſive Abbatem ſuum pro confeſſione acceſſit. Et ſic evaſit manus ſpuriciſſimi Aſmodæi. In hoc denique prælio oportet ſemper eſſe magnanimum. Sæpè enim nimius timor labendi, ipſum lapſum procurat: quia animam, & corpus ad reſiſtendum enervat. Nimius quoque horror hujusmodi tentationum, nonnunquam ipſas tentationes auget, multiplicat. Non nocebit

tibi

tibi ſenſus, ſi deſit conſenſus. Nullo modo Dæmon te circumvenire poterit, niſi ipſusmet velis. Latrare poteſt mordere non poteſt niſi volentem. Hinc quidquid ſive in anima, ſive in corpore contra puritatem tibi accidat, noli timere, noli anxiari. Quamdiu ab eo abhorres, tamdiu Chriſtus manet in medio cordis, haud ſecus ac olim in graviſſimis tentationibus manſit in corde magni illius Abbatis Antonii. Si vero Chriſtus in te, tecum, & pro te pugnat, nonne audacter cum Davide dices: non timebo, quid faciat mihi caro?

## PUNCTUM TERTIUM.

UT *caſtitatem ames*, tempore pacis quàm maximè eandem exercebis. Magni hinc æſtimabis caſtitatem, ſummè amabis, crebro etiam hoc votum renovabis. Per hoc enim Chriſto cœleſti ſponſo tuo copulaberis; ſequêris Agnum ſine macula quocunque ierit. Secundo omnes impuras cogitationes, & affectiones per continuam Divinæ præſentiæ meditationem, per ardentem cœleſtis Sponſi tui amorem, per multiplicata eodem brevi in cœlo fruendi deſideria ita penitus exclude, ut omnis fornicatio, vel immunditia nec nominetur vel in cogitatione tua, vel in verbo tuo. Ita decet Sponſam Chriſti. Sic Diabolo impuro illi Lenoni omnem viam præcludes, ne corpus, aut animam

cor-

corrumpere possit. Ah! ne fiat, obsecro cum S. Hieronymo, meretrix fidelis Sion, ne post Trinitatis hospitium ibi Dæmones saltent, & sirenes nidificent & hericii.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo ô Religiose? exerces castitatem aliquando mox parvulos cogitatus ad Christum? Beatus, qui allidet parvulos ejus ad Petram. An exerces castitatem Seniori, vel Abbati malas cogitationes cordi tuo advenientes statim patefaciendo? Vade ad Ananiam! an exerces castitatem jugiter per amorem cœlestis Sponsi desideria carnis excludendo? Dilectus meus mihi, & ego illi. Dole, quòd hucusque tam pretiosum votum exiguo in pretio, & exercitio habueris. Propone deinceps castitatem exercere tempore belli, & pacis

1. Mox parvulos cogitatus malos allidendo ad Christum,
2. Seniori spirituali eosdem statim aperiendo,
3. Per ardentem amorem cœlestis Sponsi omnem ipsis introitum sive ad mentem, sive ad sensum continuo præcludendo.

## DIES VII.

## De sublimi Religiosorum statu.

Cœnobitarum fortissimum genus. Cap. 1. v. 6.

Pun-

## PUNCTUM PRIMUM.

Summam laudem Ss. Pater noſter vitæ Cœnobiticæ admetitur; dum *Cœnobitarum fortiſſimum genus* appellat. Et plane meretur. Eſt enim Angelica vita. Quis namque cœlibem vitam, vitam Angelicam, & cœleſtem dicere vereatur? Quid futuri ſunt in Reſurrectione omnes electi? Nonne quod jam nunc ſunt omnes Cœnobitæ, ſicut Angeli Dei in cœlo, à nuptiis penitus abſtinentes? Nunquid hic ſublimis gradus eſt, quo nihil à nobis ſublimius affectari poteſt? Incorruptio ſiquidem facit proximum eſſe Deo. Ita ergo non noſtro quidem merito, ſed gratia Dei ſumus, quod ſumus: quod ad caſtitatem, & ſanctimoniam ſpectat, Angeli quidem, aut potius cœli cives; ſed interim in terra peregrini. Quamdiu enim ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Amplectere igitur, ô Frater! amplectere precioſiſſimam margaritam, amplectere caſtitatem quæ te Sanæorum efficit ſimilem, & domeſticum Dei.

## PUNCTUM SECUNDUM.

C*Oenobitarum fortiſſimum genus.* Eſt enim vita Prophetica. Veritas quidem ait: Lex & Prophetæ uſque ad Joannem. Verumtamen non erat ille adverſarius, ſed Diſcipulus utique veritatis, qui dicebat etiam

poſt

post Joannem: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, Cessavit ergo Prophetia, quia jam cognoscimus; nec tamen tota cessavit, quia adhuc ex parte prophetamus. Cessavit Prophetia de primo adventu; at non cessavit de secundo adventu Domini. Magnum sane prophetandi genus, cui dediti sunt Cœnobitæ. Quod illud? Nempe juxta Apostolum non considerare, quæ videntur, sed quæ non videntur, sine dubio prophetare est. Ambulare in Spiritu; ex fide vivere; quæ sursum sunt quærere, non quæ super terram; oblivisci, quæ retro sunt, & extendi in anteriora, ex magna parte prophetare est. Alioquin quonam modo nisi per spiritum Prophetiæ conversatio nostra in cœlis est? Sic nimirum Prophetæ olim, quasi non inter homines erant sui temporis; sed virtute, & impetu quodam Spiritûs dies illos transilientes exultabant, ut viderent diem Domini, & videbant, & lætabantur in ea. O quàm sublimis ergo est status Religiosorum! amplectere, ô Frater! amplectere pretiosissimam margaritam; amplectere conversationem, quæ in cœlis est, & sicut fuisti in terris in gradu Prophetarum, ita & in ordine Prophetarum eris in cœlis.

## PUNCTUM TERTIUM.

C*Oenobitarum fortissimum genus.* Est enim vita Apostolica. Si gloriari licet, ha-

bemus plane gloriam: ſed ſi ſapimus, habere curabimus apud Deum. Hæc namque eſt vera gloriatio, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Nam neque manus noſtra excelſa; ſed Dominus fecit hæc omnia. Fecit nobis magna, qui potens eſt; ut merito magnificet anima noſtra Dominum. Ipſius enim magno munere factum eſt, ut magnum illud propoſitum, unde magni gloriabantur Apoſtoli, magnifice ſequeremur. Ecce! nos reliquimus omnia: & ſecuti ſumus te. Forte ſi & in hoc gloriari volumus, non erimus inſipientes. Veritatem enim dicemus, eſſe aliquos, qui plusquam navem, & retia reliquêre. Quid vero illud, quód ipſi quidem Apoſtoli, reliquerant omnia, ſed ut præſentem Dominum in carne ſequerentur? Non eſt noſtrum dicere, ſecuriùs ipſum Dominum audiamus. Quia vidiſti me, inquit, Thoma! credidiſti: beati, qui non viderunt, & crediderunt. Amplectere ergo, ô Frater! pretioſam margaritam; amplectere cum Apoſtolis perfectam mundi abrenunciationem, & ſedebis cum ipſis judicans duodecim tribus Iſraël.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religioſe! caſtitatem colis, ut Angelicæ ſublimitatis dignus fias in Cœnobio? Erunt ſicut Angeli Dei, qui nec nubunt, nec nubentur. An converſatio tua

in

in cœlis est, ut Propheticæ sublimitatis dignus fias in Cœnobio? Ex parte prophetamus. An abrenuncias mundo, ut Apostolicæ dignitatis dignus fias in Cœnobio? Relictis rebus secuti sunt eum. Dole, quòd hucusque ad sublimitatem status tui non contenderis. Propone ad illam

1. Per castitatem,
2. Per conversationem cœlestem,
3. Per abrenunciationem mundi contendere.



## DIES VIII.

## De periculosa Religiosorum ruina.

Sarabaitarum deterrimum genus. Cap. 1. v. 3.

### PUNCTUM PRIMUM.

SIcut verorum Religiosorum status sublimis est, ita & periculosa eorundem ruina est. Unde Ss. Pater vitam *Sarabaitarum deterrimum genus* appellat. Prô? quàm periculosus lapsus est, qui ex alto gradu fit? Prô! quàm deterrimi evadunt, quibus *pro lege est desideriorum voluptas*? Ex Angelis in fœdissimos Dæmones mutantur, qui abjecta castitate luxuriosè vivunt, & siliquis porcorum loco Angelici panis pascuntur. Nonne haud secus ac Dæmones quasi ignibus inferni ardent? *Luxuria ignis est us-*

*que ad perditionem devorans.* Reatus namque hujus facinoris non ſolum uſque ad inquinationem maculat; ſed usque ad perditionem vorat: quia igne luxuriæ omnia bona opera concremantur. Nulla quippe ante omnipotentis Dei oculos juſtitiæ, pietatisque ſunt opera, quæ corruptionis contagio monſtrantur eſſe immunda. Quando itaque hic ignis ſemel exarſit, ardebit uſque ad inferos deorſum, cùm conſumpto corpore mox ſpiritum à clibano carnis ſuccenſo ad clibanum miſerit ignis æterni. O quàm profunde lapſus eſt, qui jam per caſtitatem tertium cœlum aſcendit? Ah! qui ſtat, videat, ne cadat. Videbam Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem. Ex alto corruit, confractus, & comminutus eſt. Quis non timeat?

## PUNCTUM SECUNDUM.

S*Arabaitarum deterrimum genus.* Eſt enim vita animalis. Prô! quantus lapſus non eſt? Quorum converſatio uti Prophetarum in cœlis fuit, nunc omnis eorum cogitatio, & actio verſatur in terris. Non amplius ſecundum fidem, ſpem, & charitatem ambulant; ſed ſecundum ſenſum, & ſenſualitatem, atque in iis, quæ vident, quæ experiuntur, ut muta animalia corrumpuntur. Et quidem eo deterius, quo magis perverſe ipſam rationem ſenſui ſubjiciunt, atque per eam infinita quodammodo deſideria concipiunt,

piunt, ut pariant iniquitatem. Nullum eorum plane opus Religionis ex radice supernaturali, sed omne ex corrupta natura procedit. Hinc & nullum meritorium est vitæ æternæ; omne corruptæ naturæ vitiis commaculatum est. Ah! qui stat, videat, ne cadat. Videbam Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem. Desperata est plaga ejus. Quis non expavescat?

## PUNCTUM TERTIUM.

S*Arabaitarum deterrimum genus.* Prô? Quantus casus non est? Qui cum Apostolis ad judicandos peccatores electi fuerunt, mox ipsi peccatores constituuntur, & judicantur; quia ut sus ad volutabrum, ita ad seculum redierunt. Ita tamen cadunt, quotquot post abrenunciationem *adhuc operibus servantes sæculo fidem mentiri Deo per tonsuram noscuntur.* Ita cadunt, qui quod reliquerunt, illud rursus re, aut affectu assumunt. Ita cadunt, quotquot pauperes videri, sed non esse volunt. Ita cadunt, qui pauperem JEsum sequi profitentur; sed Mammonæ deserviunt. Apostoli nunqum ad ea, quæ dimiserunt, reversi sunt, illi Discipulo non permissum est, ut reverteretur ad sepeliendum Patrem suum. Judicabunt igitur duodecim tribus Israël. Ah! qui per abrenunciationem sæculi cum Apostolis stat ad judicandum, videat, ne ipsemet cadat in judicium, cùm aliquid de

mundo rurſum accipiat. Videbam Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem. Factus eſt Spiritus ejus vadens, & non rediens. Quis non horreat?

## PUNCTUM QUARTUM.

PNigitur, ô Religioſe? times, ne à ſtatu Angelico ad Diabolicum per impuritatem cadas! Ignis eſt omnia eradicans genimina. An expaveſcis, ne à ſtatu Prophetarum ad animalium ſtatum per vitam ſenſualem cadas? Caro non percipit ea, quæ Spiritûs ſunt. An horres, ne à ſtatu judicium ad ſtatum judicandorum per reditum ad ſæculum cadas? Duriſſimnm erit his judicium. Dole, quòd & tu huic ruinæ pateas magnæ. Propone ſemper deinceps

1. Quamlibet minimam impuritatem,
2. Omnem vitam ſenſualem,
3. Quemlibet affectum ad ſæculum angue pejus devitare.



## DIES IX.

### Quàm grata debeat eſſe Monachis Monaſterii ſui paupertas.

Ubi autem loci neceſſitas expoſcit, ut nec ſupra ſcripta menſura inveniri poſſit; ſed multo minus, aut ex toto nihil, benedicant Deum, qui ibi habitant.
Cap. 40. v. 7.

Pun-

## PUNCTUM PRIMUM.

UT Religiosi de paupertate sui Monasterii non causarentur, Ss. Pater eos sequentibus adhortatur verbis: *Ubi autem loci necessitas exposcit, ut nec supra scripta mensura inveniri possit; sed multo minus, aut ex toto nihil, benedicant Deum, qui ibi habitant.* Quare? Paupertas Religiosa magis splendescit in tali loco. Votum paupertatis magis Deo redditur, cui promissum est. Quomodo enim pauper est, qui in nullo defectum sustinere vult? Quomodo pauper est, qui ipsa etiam necessitate subinde carere non gaudet? Quomodo pauper est, qui nullius egere semper studet? Benedic ergo Deum, qui in tali paupere loco habitas. Ecce! & qui abundant temporalibus bonis, iis sine violatione voti S. Paupertatis ad abundantiam uti non possunt. Non licet plus lætari in conviviis, & locutionibus divitum, quàm in paupertate, & abstinentia Religiosorum Fratrum. Non licet in amictu ornatum quærere. Amputari debet omne, quod superfluum est. Superfluis Pedes Christi, pauperes fovendi sunt.

## PUNCTUM SECUNDUM.

U*Bi autem loci necessitas exposcit, ut nec supra scripta mensura inveniri possit, sed multo minus, aut ex toto nihil, benedi-*

*cant Deum, qui ibi habitant.* Quare? Patientia Religiosa magis elucet. Individua siquidem comes paupertatis patientia est. Vere Spiritu pauper non est, qui non cum gaudio frigus, & æstum, atque omnem inopiam pati paratus est. Plane & qui abundant, hisce gaudere debent. Hæc sunt pars votorum, quæ distinxerunt labia eorum. O quàm felices sunt, qui in paupere Monasterio habitant! ibi exulat murmur, si quid ipsis denegatur. Ibi exulat mala voluntas invidentium. Ibi exulat omnis habendi cupiditas. Benedic ergo Deum, qui ibi habitas. Quòd si Monasterium tuum abundat, ipsemet amputa subinde necessitatem, ut inopiam pauperis, ac patientis JEsu experiri possis. Aspice Monasteria à Ss. Patre in monte Cassino erecta. Vide primævos Sanctos Monachos. Aspicies summam egestatem patientes. Videbis de oblatis fidelium votis, de divitiis, de omnium bonorum abundantia nihil sibi usurpare nisi necessitatem, imo & hanc respuere, ut paupertatis incommoda pati possint.

## PUNCTUM TERTIUM.

U*Bi autem loci necessitas exposcit, ut nec supra scripta mensura inveniri possit, sed multo minus, aut ex toto nihil, benedicant Deum, qui ibi habitant.* Quare Religiosa humilitas magis enitescit. Non enim

Ss. Pa-

Ss. Pater vult,ut solum internam, sed etiam externam humilitatem ad ædificationem videntium præ nobis feramus. Quæ autem alia est humilitas externa,quàm vilitas in victu,& amictu,in omni supellectili? ubi verò major superbia,quàm ubi abundantia bonorum largiter, & supra statum dividitur? Rectè hujusmodi lamentabundus occinit illud Threnorum S.Bernardus. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum. Verè obscuratum est aurum; quando vita Religiosorum anteà per gloriam virtutum erat clara,nunc verò per sæcularia opera est obscura. Verè mutatus color optimus; quando ampliùs habitus Religiosorum componitur, ut placeat in conspectu populi, quàm in conspectu Dei. Verè dispersi sunt lapides in capite omnium platearum, quando Religiosi viri quærendo vana, & sæcularia foris vagantur. Benedic ergò Deum, qui in paupere Monasteriô habitas. Verus enim Filius Ss. Patris esse non potest, nisi qui *omni vilitate contentus est.*

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religiose! in Monasteriô paupertatem colis? Beati pauperes Spiritu; quoniam ipsorum est Regnum cœlorum. An in Monasteriô patientiam paupertatis exerces? Patientia vobis necessaria est,ut repor-

tetis repromiſſiones. An in Monaſteriô vilitatem paupertatis amas? Reſpexit Dominus humilitatem Ancillæ ſuæ. Dole, quod ob paupertatem Monaſterii tui ſæpè conqueſtus, vel abundantiâ illius contra votum paupertatis abuſus fueris. Propone in Monaſterio ſemper

1. Paupertatem, & in paupertate
2. Patientiam, atque
3. Humilitatem cum gaudiô exercere.



## DIES X.

## De crebra votorum Renovatione.

Promittat de ſtabilitate ſuâ, & converſione morum ſuorum, & obedientiâ. Cap. 58. v. 18.

## PUNCTUM PRIMUM.

VAldè utile, neceſſarium, & requiſitum eſt, ut quæ vota ſemel juſſit Ss. Pater vovere; *promittat de ſtabilitate ſuâ, & converſione morum ſuorum, & obedientiâ,* frequenter eadem renovemus. Utile enim eſt; quia novam nobis gratiam ad reddenda vota, quæ promiſimus, impetrat. Inſignis equidem actus amoris eſt, quoties eâ voluntate, quâ in profeſſione primitùs vota emiſimus, poſtmodùm eadem renovamus. Tunc verificatur de

de nobis illud Psalmistæ: hæc est generatio quærentium Dominum. Sed quærentium dicam, an habentium? Habemus enim Dominum; quia nos genuit in professione in spem vitæ, ut adoptionem Filiorum reciperemus. Quomodo namque nos genuit? Verbô utique veritatis. Ergo verbo geniti, verbum, quod est Dominus, habemus. Quærimus autem Dominum, quando per renovationem votorum semper ampliores gratias de cumulo gratiæ benedictione dulcedinis requirimus. Sic de se loquitur, & testatur ipse Dominus, quem habemus, & quærimus. Qui me edit, adhuc esuriet. Quis proinde non crebro renovet vota sua, ut in gratiâ coram Deo, & hominibus magìs proficiat?

## PUNCTUM SECUNDUM.

P*Romittat de stabilitate sua, & conversione morum suorum, & obedientia.* Necessaria est crebra renovatio votorum iis, qui ea perfidè violarunt. Non enim peccatori datur venia peccatorum, nisi malam voluntatem retractaverit. Non efficaciter potest retractare, nisi rursus vota voveat, & reddat Domino. Scriptum namque est; vovete, & reddite: displicet Deo stulta promissio. Nónne Dominus ejusmodi transgressoribus jugiter acclamat: væ tibi generatio prava, & exasperans; mala & adultera generatio, mendacium usque hodiè quærìtans, & diligens

va-

vanitatem, nec ſervans fidem, cui deſponſata fuiſti veritati? Nunquid non opus habes naſci denuo, iterum generari? An non ad gratiam meam eodem modo, quo in profeſſione rurſum pervenire debes? Et maximè. Nempe genimina viperarum facti, tantò magis nunc neceſſè habent in ventrem matris gratiæ iteratò introire, & naſci, quantò facta noſcuntur poſteriora eorum, deteriora prioribûs. Gratias ipſi gratiæ, & ſi dici poteſt plusquàm gratuitæ miſerationi, quæ beneficiis obruit non modo immeritos, ſed nimium male meritos, & ingratos. Gratias ei, qui etiam poſt tot lapſus rurſus regenerat verbò veritatis ſuæ. Jure cum Propheta cantabis: voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt.

## PUNCTUM TERTIUM.

PRomittat de ſtabilitate ſua, & de converſione morum ſuorum, & de obedientia. Requiſita eſt crebra votorum renovatio ad perfectam eorum adimpletionem. Quid enim eorundem obligationem nobis magis inculcat; quàm frequens illorum reiteratio? quid fortiùs nos impellit, ut ea exactè obſervemus; quàm repetita vota, eadem ſervandi? Certè, qui vota vovent Domino, & exteriùs tantùm ſervant ea, nimis imperfectè votis ſuis ſatisfaciunt; at qui ex intentione, & renovatione voti ſui opus, quod Deo voverunt, per-

peragunt, ii ſunt, qui perfectè votum ſuum exſolvunt. Hæc eſt generatio quærentium Dominum. In ſimplicitate cordis quærunt illum. Non enim aliud tanquam illum, non aliud præter illum, non aliud poſt illum quærunt; ſed ſicut in profeſſione voverunt vota ſua ad colendum Deum, ita reddunt vota ſua ad cultum illius, dum renovant, & opera, quæ voverunt, præſtant. Non ergo ſolvamus vota tantùm externè, ſed internè. Veritas eſt Deus, & tales quæſitores requirit, qui quærunt eum, in Spiritu & veritate. Facilius tunc cœlum, & terram erit tranſire, quam ut ſic quærentes non inveniamus Dominum.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religioſe! crebrò vota tua renovas ad obtinendas novas gratias eadem obſervandi? Vota mea Domino reddam. An poſt transgreſſionem votorum crebrò vota renovas ad obtinendam primam ſtolam S. Profeſſionis? dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. An crebrò vota renovas ad eadem perfectè adimplenda? Si quis votum Domino voverit, non faciet irritum verbum ſuum, ſed omne, quod promiſit. Implebit. Dole, quod tam raro vota tua renovaveris. Propone vota

1. Ad obtinendas novas gratias, vel
2. Ad acquirendam rurſus primam gratiam, &
3. Ad perfectè illa implenda crebro renovare.



# *DIES XI.*

## IN FESTO S. MARTINI EPISCOPI.

### De imitatione humilitatis S. Martini.

Non eſt exaltatum cor meum. Cap. 7. §. 1. v. 3.

## PUNCTUM PRIMUM.

Cum Ss. Pater noſter ſpecialis cultor S. Martini fuerit, utpote ad cujus honorem oraculum in templo Apollinis conſtruxit; merito & nos eundem venerari, atque imitari debemus. Præ omnibus autem ejus virtutibus, atque in cunctis illius excellentiis, & prærogativis Sanctitatis reſplendet admirabilis humilitas, quâ dicere potuit: *non eſt exaltatum cor meum.* Non illum ſplendor militaris proſapiæ, non favor Imperatoris extollere potuit; quin non proprio ſervo calceamenta extraheret, purgaret, ac ſedenti ad menſam inſerviret. O quanta eſt iſta humilitas! nònne ſe verè omnium viliſſimum intimo cordis credidit affectu? At quàm longè nos ab eâ diſtamus? Plerumque enim ſe aut congenita nobilitas, aut per virtutem obtenta prærogativa animo noſtro objicit, eumque tumidis cogitationibus fallit, ut amore Chriſti aliis humiliter ſervire dedignetur. Verùm nunquid omnes homines æquales natura ſumus?

mus? deprimamus, quod dispensatorio ordine nobis accessit, ut quibusdam prælati videamur, & inveniemus citiùs, quod naturaliter sumus. Consideremus virtutes etiam vilissimorum hominum ad peccata nostra; vel si nullas possident, æstimemus illos ad occulta Dei judicia, in quibus nos forsan meritis longè superabunt, & humiliter illis servire gaudebimus. Væ JEsum non sequentibus, qui venit ministrare, & non ministrari! approximabunt in pœnis superbo Lucifero, quem in terris imitati sunt.

## PUNCTUM SECUNDUM.

N*On est exaltatum cor meum.* Ad omnia se indignum æstimavit S. Martinus. Noluit officium Diaconatûs, Sacerdotii, minùs Episcopatûs in se recipere, semper indignum se esse vociferans; fortiter reluctatus est honorantibus se. Et cur? Benè ponderavit illud Regum: pedes Sanctorum suorum servabit. Quid enim in utroque pede intelligitur, nisi fortitudo, & humilitas? Ne igitur rueret, in utroque pede substitit. Benè scivit, humiles in judicio divino in sublimi collocandos esse; qui nunc temporalem honorem rectæ cogitationis examine calcarent. Benè comprehendit, eo lapsum esse periculosiorem, quo ex altiori gradu fit. Semper sibi ante oculos posuit exemplum Eleazari, qui in prælio elephantem feriens stravit, sed sub ipso,

quem

quem extinxit, occubuit. Hinc timuit & ipſe, ne onus, quod in ſe ſuſciperet, eum contereret. O qui cum B. Martino hujuscemodi conſiderationes mente, animoque conſtanter volveret, puto, quod pedibus, manibusque honores à ſe propelleret!

## PUNCTUM TERTIUM.

NOn eſt exaltatum cor meum. Quantumvis enim virtutibus, & miraculis B. Martinus claruit, humillimus tamen in ſe manſit. Et quamvis à Deo, & hominibus honoraretur, nil tamen boni in ſe recognoſcebat. Uſque ad mortem pœnitentialem, atque humillimam vitam duxit. Nullum ſiquidem eum opus bonum, nulla gratia inflare potuit, qui altè cordi ſuo habuit inſcriptum: quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Non ſumus ſufficientes ex nobis cogitare quidquam boni, quaſi ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Gratia Dei ſum id, quod ſum. Hac vero humilitate ſemper ampliora à Deo promerebatur chariſmata gratiarum. Omnis namque vallis implebitur. Nos quia de bonis noſtris actibus ſuperbimus, & acceptas gratias per ſuperbiam perdimus, & indignos nos reddimus ad novas accipiendas. Sed redeamus ad cor. Imitemur S. Martinum. Opere impleamus illud Ss. Patris noſtri bonorum operum inſtrumentum: *bonum*

*aliquod in se cùm viderit, Deo applicet, non sibi; malum verò semper à se factum sciat, & sibi reputet.*

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergò, ô Religiose! cum S. Martino aliis libenter servis? Si quis vult inter vos primus esse, erit omnium novissimus, & omnium minister. An cum S. Martino ad omnia munia te indignum reputas? Cùm invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè te honoratior sit, & tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere: quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. An cum S. Martino in donis supernaturalibus humiliter de te sentis? Ego enim sum minimus; omnium peripsema usque adhuc. Dole, quòd hanc S. Martini humilitatem non fueris imitatus. Propone

1. Aliis ex humilitate libenter servire.
2. Ad omnia munia te indignum reputare.
3. De donis supernaturalibus non superbire.

********************************

## DIES XII.

### De necessitate Spei.

Spem suam Deo committere. Cap. 4. Instr. 41.

## PUNCTUM PRIMUM.

SAnctissimus Pater noster hôc instrumentô; *spem suam Deo committere*, nobis summopere frequentes actus fiduciæ in Deum commendat. Et meritò. Spes nobis necessaria est ad vitanda peccata. Nunquàm enim tentationes superabimus, aut passionum tumultus sedabimus, nisi mentem nostram spes cœlestium solidaverit. Sic quippe firma in Deum fiducia animum obfirmat, ut eum ad perpetrandam nequitiam nec blandimenta suasionum pertrahant, nec dolores suppliciorum frangant. Spes siquidem in æternitatem animam erigit, & idcircò, nulla mala, de quibus tentatur, admittit. Verificatur nempe illud Job in eo, qui confidit in Domino. Confusi sunt; quia speravi. Etenim cùm justi spes interiùs figitur, & nequaquàm malignîs tentationibus ad ima reclinatur, inimicum humani generis confusio occupat: quia dum pervenire ad justorum intima nequit, incassum se existere crudelem tentatorem erubescit, & fugit. Spera igitur ad omnem tentationem in Domino, & spem sicut anchoram habebis animæ tutam, ac firmam.

## PUNCTUM SECUNDUM.

S*Pem suam Deo committere.* Spes necessaria est ad superandas hujus vitæ adversitates, & mundi prosperitates. Hæc etenim fidu-

fiducia speciale specimen electorum est, quòd sic sciunt præsentis vitæ iter carpere, ut per spei certitudinem noverint jam se ad alta pervenisse, quatenùs cuncta, quæ præterfluunt, sub se esse videant. Unde de tali electo Dominus dicit: sustollam te super altitudines terræ. Quasi namque inferiora terræ sunt damna, contumeliæ, egestas; at mens, quæ sperat in Domino, ista secura pertransit, quando ceu transacta, vel mox transigenda cogitat, & pro illis præmium in cœlis sperat sine fine duraturum. Quasi autem altitudines terræ sunt lucra rerum, blandimenta, honores. Hæc, quisquis per ima adhuc desideria incedit, eo ipso alta æstimat, quo magna putat. At si semel cor in cœlestibus per spem figitur, mox quàm abjecta sint, quæ alta videbantur, recognoscit. Nam sicut, qui in montem ascendit, eo paulisper subterjacentia despicit, quo ad altiora gressum ampliùs tendit; ita qui in summis intentionem figere nititur, dum annisu ipso nullam præsenti, vitæ gloriam, vel voluntatem esse deprehendit, super terræ altitudines elevatur. Et quod priùs in imis desideriis positus super se credidit, post ascendendo proficiens sibi subesse experitur. Spera igitur in Deo tuo, & nec in prosperis, nec in adversis spe tuâ frustraberis.

## PUNCTUM TERTIUM.

SPem suam Deo committere. Spes necessaria est ad acquirendas virtutes, & perfectio-

nem monasticam. Spes quippe majora semper charismata æmulatur. Nunquam à cœpta virtute deficit, sed quotidiè ad majorem perfectionem proficit. Ipsa beatitudo, quam per gratiam Dei, & propriam cooperationem sperat, animum, roburque addit, ut continuo progrediatur. Fidelis enim Dominus in omnibus viis suis. Promisit in hac vita pœnitentibus veniam. Manifestum hinc est; quia sicut confitentibus remissionem tribuit peccatorum, ita ab ista spe non decidentibus dabit regnum cœlorum. Spera igitur in Domino, mutabis fortitudinem, assumes pennas ut aquilæ, volabis, & non deficies.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN idcircò, ô Religiose! speras in Domino ad vitanda peccata? Salvum faciet egenum de gladio oris eorum. An speras in Domino ad superandam adversitatem, & prosperitatem hujus sæculi? Væ his, qui perdiderunt sustinentiam. An speras in Domino ad acquirendam perfectionem? Elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum sibi. Dole, quòd tam raro actus spei elicueris, nec ad animæ tuæ profectum fiducia in omnibus usus fueris.. Propone in Domino sperare

1. Ad devitanda peccata.
2. Ad superandam prosperitatem, & adversitatem hujus sæculi,
3. Ad acquirendam perfectionem.

## DIES XIII.

## IN FESTO OMN. SS. MONACHORUM ORD. SS. P. BENEDICTI.

### De exemplo Majorum.

Nihil agat Monachus, niſi quod Majorum cohortantur exempla. Cap. 7. gr. 8. v. 69.

### PUNCTUM PRIMUM.

O Quam glorioſum eſt Regnum, in quo Ss. Pater noſter cum Filiis ſuis triumphat? Quis non ad illam innumerabilem ſanctorum Confratrum turmam pervenire deſideret? Pervenies, *ſi nihil agas, niſi quod Majorum cohortantur exempla.* Et quale in primis tibi præbent exemplum? Nònne pœnitentiæ etiam in ſumma innocentia, & ſanctitate vitæ? Ab externa auſteritate vitæ metire internam cordis compunctionem. Ordinem plantabant in ſanguine ſuo, in labore, & ærumna, in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate, in perſecutionibus, & contumeliis, & anguſtiis multis. Ipſi ſibi cellas ædificabant, in quibus tecti tantummodo, & circumſepti à turbine, & à pluviâ tutabantur. Nemini otioſum eſſe licebat; omnes manibus laborabant. Nullus præſumebat loqui, cuncti perpetuum fermè ſilentium colebant. Ipſis olus cibaria fuere,

vel legumina, potumque lympha præbuit, humusque dura lectulum. Et ut nihil de ſtupendis aliis, non imitandis Patrum noſtrorum auſteritatibus dicam, quomodo eos ſequeris in virtute pœnitentiæ? Certe Monachus non eſt, qui pœnitentiam non agit.

## PUNCTUM SECUNDUM.

N*ihil agat Monachus, niſi quod Majorum cohortantur exempla.* Et quænam ſunt præcipua exempla Majorum noſtrorum? Nonne inceſſabilis laudis Divinæ? Anticipaverunt nocturnas vigilias, imo integras noctes in pſallendo conſumpſerunt. Nihil unquam operi Dei præpoſuerunt; ſed mox ad ſignum relictis omnibus quilibet alterum ad officium Divinum prævenire contendit. Nemo pſallentium choris deeſſe voluit; omnes, niſi lethifera infirmitas impediſſet, cum cæteris Fratribus laudes Divinas decantare geſtiebant. In ipſa pſalmodia non jam homines, ſed Angeli, in quorum conſpectu pſallebant, aſtantibus ſemper viſi fuerant. Et quamvis ſtatis horis operi manuum juxta Ss. Regulam vacabant, tamen in mente continuo Pſalmos ruminaverunt. Hinc factum, ut à Tyrannis in arboribus ſuſpenſi laudem Divinam cantare minime ceſſarent. Et quod mirum eſt, poſt mortem & viſi ſunt, & auditi dulciter laudare nomen Domini. Plane nihil agit Monachus, ſi opus Dei agit negligenter.

Pun-

## PUNCTUM TERTIUM.

N*Ihil agat Monachus, nisi quod Majorum cohortantur exempla.* Qualia sunt ista exempla Majorum nostrorum? Nonne inenarrabilis dilectionis fraternæ? Ipsis verè jucundum erat habitare in unum; quia semper cor unum habebant, & animam unam. Nulla æmulatio apud ipsos, nisi tantum charismatum meliorum. Nulla invidia, aut contractio cordis. Quivis omni extremitate, & vilitate contentus erat, atque omnium se vilissimum reputaverat. Hinc nemo præesse, cuncti subesse æmulati fuerant; quia quilibet reliquos suos Fratres, suos quoque Superiores æstimaverat. Et ut fraternæ charitatis obsequia unus alteri exhibere posset, non raro noctem in auxilium vocabant; quatenus unus alterius laborem pie furari, perficere, atque sic onus portare posset. Nemo desolatus, turbatus, aut tristis relinquebatur; cuilibet sua solatia ministrabantur. Vere nihil aget Monachus, si ista Majorum exempla non sequatur. Nihil enim est, qui charitatem non habuerit.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religiose! sequeris Majorum exempla in pœnitentia? Monachi officium est semper plangere. An sequeris Majorum exempla in opere Divino? Monachi offi-

officium est puram Deo orationem offerre. An sequeris Majorum exempla in charitate fraterna? Sine charitate fraterna Monasterium tartarus est; & qui ibi habitant, non Monachi, sed Dæmones sunt. Dole, quòd sanctos tuos Confratres non fueris imitatus. Propone Eorum exempla sequi

1. In pœnitentia,
2. In opere Divino,
3. In charitate fraterna &c.



## DIES XIV.

### De miseria Religiosorum à sua vocatione deficientium.

Si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat, quem irridet. Cap. 58. v. 20.

### PUNCTUM PRIMUM.

NOn immerito Ss. Pater gravissima comminatione Professo comminatur; *si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat, quem irridet.* Prævidit quàm plurimos a sua vocatione ad sæculum affectu, & moribus redituros. At quanta istorum miseria est? Qui enim vocationem suam derelinquunt, & operibus sæculo servant fidem, efficiuntur nigri sicut carbones frigidi. Quare? Quia per torporem mentis ab igne charitatis Dei sunt mortui, & extincti. Unde bea-

beatus Isidorus: Qui de bona vita ad malam revertuntur per cupiditatem mundi, sunt contenebrati, & nigredine vitiorum sunt fœdati, & fuscati, atque lucernæ charitatis Dei sunt extranei. Qui affectu ad sæculum fugiunt, à societate Angelorum separantur, & Dæmonibus sociantur. Qui sanctam conversationem relinquunt, & ad sæcularem vitam descendunt: a societate Dei elongantur. Considera igitur, ô Religiose! quotidie: qualem vitam professus es, unde venisti, & ad quid venisti, & quare venisti; ne unquam ad sæculum aut affectu, aut moribus redeas.

## PUNCTUM SECUNDUM.

*SI aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat, quem irridet.* Quanta miseria votifragorum? Maximam enim immanitatem peccati committunt, qui vota sua frangunt. Nam etsi aliqui etiam inordinati, & indisciplinati, ac peccatores sint, non tamen sunt prævaricatores. Hinc quantumlibet cæteroquin religiose se quis habeat, Deo tamen minus accepta est ejus religio, quam deturpat voti prævaricatio. Imo Deo omnino gratum esse non potest, quidquid religionis ei obtulerit; quamdiu voti prævaricator non redierit ad cor. Incassum laborat, jejunat, vigilat, orat; quia à Déo damnabitur, quem irridet. Et tanto damna-

tio erit major, quanto corona fuiſſet auctior, ſi votis ſuis feciſſet ſatis. Etenim ſi teſte calvaria illa, quæ Macario Abbati locuta eſt, præ cæteris in inferno torquentur Chriſtiani, certe Religioſi adhuc graviores dabunt pœnas, qui inter Chriſtianos debuiſſent eſſe perfectiores. Noli ergo nunc exultare in rebus peſſimis, ne Deus rideat in interitu tuo.

## PUNCTUM TERTIUM.

*SI aliter fecerit, ab eo ſe damnandum ſciat, quem irridet.* Quanta miſeria tepidorum? Summopere enim Religioſus tepidus Deo diſplicet. Frigidos ſæculares Deus patienter exſpectat de frigore ad calorem converti; at Religioſum in vocatione ſua tepidum indignans cum advertit, incipit eum evomere ex ore ſuo. Et merito: quia ipſe ad vomitum ſuum redit; quia ipſe gratiam vocationis evomit. Heu quomodo Chriſtum faſtidit, de quo ſcriptum eſt: mel, & lac ſub lingua ejus? Miror, quod ad guſtum dulciſſimi cibi nauſeare poſſit; ſi tamen guſtavit; quam dulcis eſt Dominus. Aut certe nondum guſtavit, & neſcit, quid ſapit Chriſtus, ideoque non appetit inexpertum: aut ſi guſtavit, & dulce non ſapuit, ſanum non habet palatum. Ipſe quippe Dei eſt ſapientia, quæ ait: qui comedit me, adhuc eſuriet, & qui bibit me, adhuc ſitiet. Sed quomodo poteſt eſurire, vel ſitire Chriſtum plenus quo-


tidie

tidie siliquis porcorum? Non potest bibere calicem Christi, & calicem Dæmoniorum. Calix Dæmoniorum superbia est. Calix Dæmoniorum detractio, & invidia est. Calix Dæmoniorum crapula est. Calix Dæmoniorum carnalis delectatio, & repausatio est. Spirituales namque, ac carnales deliciæ in eodem se non compatiuntur. Eja lætare ergo in Deo tuo, & exulta, ne decedente temporali lætitia, succedat, quæ te absorbeat, æterna tristitia.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religiose! nunquam ad sæculum affectu, vel moribus redis? Qui retrospicit, non est aptus regno Dei. An vota non violas? Multo melius est non vovere, quàm post votum promissa non reddere. An non tepidus es? Utinam calidus esses, aut frigidus; sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. Dole, quòd miseriam Religiosorum à vocatione sua deficientium & tu hucusque laboraveris. Propone

1. Neque affectu, aut moribus ad sæculum redire.
2. Neque vota violare,
3. Neque tepidus in vocatione tua existere.



## DIES XV.

### De quotidiano charitatis proximi exercitio.

Deinde diligere proximum tanquam ſeipſum. Cap. 4. Inſtr. 2.

## PUNCTUM PRIMUM.

Cum mandatum maximum ſit, *diligere Dominum Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus*, alterum autem ſimile huic, *deinde proximum tanquam ſeipſum*; merito ad mentem Ss. Patris noſtri quotidie & amorem proximi exercemus. Porro hoc exercitium in tribus conſiſtit. Primum eſt, ut quotidianas offenſiones libenter proximo noſtro condonemus. Impoſſibile namque eſt, quamdiu in hac vita ſumus, ne quotidie invicem & offendamus, & offendamur. Unde neceſſe eſt, ut quotidie offenſas indulgeamus. Divina ſiquidem diſpenſatione permittimur offendi, ut dum aliis quotidianas injurias remittimus, Deus quoque habeat, unde quotidiana peccata nobis ignoſcat. Preci enim, quam compoſuit, conditionem inſeruit dicens: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Aut ergo non facientes dicimus hanc precem, & nosmetipſos dicendo amplius ligamus:

aut fortaſſe conditionem hanc in oratione intermittimus, & advocatus noſter precem, quam compoſuit, non recognoſcit. Quid hinc nobis agendum eſt, niſi ut veræ charitatis affectum impendamus Fratribus, nulla in corde malitia maneat? tunc enim omnipotens Deus conſiderabit charitatem noſtram, & noſtris, impendet iniquitatibus pietatem ſuam.

## PUNCTUM SECUNDUM.

D*Einde diligere proximum tanquam ſeipſum.* Alterum hujus ſanctæ dilectionis exercitium eſt, ut quotidie unum aut alterum opus miſericordiæ proximo noſtro impendamus. Ad hoc nos Ezechiël hortatur, quando ait: ſub firmamento autem pennæ eorum rectæ alterius ad alterum. Tunc quippe pennæ virtutum ſub firmamento rectæ ſunt, quando bonum, quod alter habet, hoc alteri miſericorditer elargitur. Sic, qui poteſt, & audet, pauperes recreet. Qui doctrinæ gratia plenus eſt, ignorantis proximi tenebras verbo ſuæ prædicationis illuſtret. Qui ſoli Deo vocare meruit, pro delinquentibus proximis exoret. Pennæ enim noſtræ rectæ jam non ſunt, ſi ad utilitatem noſtram ſolummodo reflectuntur. Sed tunc rectæ fiunt, cùm in utilitatem, proximi dirigimus, quod habemus. Quia enim bona noſtra non à nobis ſunt, ſed ab eo hæc accepimus,

mus, à quo factum est, ut essemus, tanto ea nobis non debemus retinere privata, quanto ea nobis conspicimus ab Authore nostro ad communem utilitatem data. Qui ita in proximum misericors est, habet Divinum promissum; quia misericordiam consequetur.

## PUNCTUM TERTIUM.

DEinde *diligere proximum tanquam seipsum.* Tertium hujus sanctæ dilectionis exercitium est, ut bono exemplo proximum nostrum quotidie ædificemus. Nullo enim modo ipsius salutem efficacius promovere possumus, quàm exemplo. Ad hunc quippe actum amoris ipsa veritas nos hortatur: luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Hanc veritatem sequitur, qui in omni, quod dicit, atque in omni, quod agit, non solum profectum suum; sed etiam proximorum ædificationem quærit. Aliquando in quibusdam semetipsum dijudicat, ut negligentes, & tepidos ad sui cognitionem revocet. Aliquando bona opera ostendit, ut spectatores eorum erubescant non imitari, quod vident. Aspera siquidem sæcularium corda, si prius Religiosorum exempla non vident, nec latitudine devotionis se valent distendere, nec Christianæ perfectionis normam imitari. Tu igitur zelo amoris proximi inardesce, & bo-

no virtutum odore fac omnes currere in odorem unguentorum Christi.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religiose! exerces charitatem proximi remittendo illi quotidianas offensiones! Dimittite, & dimittemini. An exerces charitatem proximi per quotidiana misericordiæ opera? Beati misericordes? quoniam & ipsi misericordiam consequentur. An exerces charitatem proximi per quotidianum bonum exemplum? Qui fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum. Dole, quòd charitatem proximi tam raro exercueris. Propone charitatem proximi quotidie exercere

1. Per indulgentiam offensarum,
2. Per opera misericordiæ,
3. Per bonum exemplum.



## DIES XVI.

### Quòd æternæ pœnæ sunt veluti præsentes considerandæ.

Sit memor, qualiter contemnentes Deum in gehennam pro peccatis incidunt. Cap. 7. v. 10.

## PUNCTUM PRIMUM.

HIsce: *Sit memor, qualiter contemnentes Deum in gehennam pro peccatis incidunt,*

Ss. Pa-

Ss. Pater nobis commendat conſiderationem pœnarum inferni, non tanquam primum futuræ, ſed tanquam præſentes ſint. Hoc indicat tempore præſenti; dum ait: *incidunt.* Solet enim ejusmodi conſideratio altius cor penetrare, atque à peccato magis abſterrere. Conſidera igitur præſentem pœnam damni, qua damnati excluduntur æternum à viſione beatifica. Super eos enim cecidit ignis, non viderunt ſolem. Ignis ſuper impios cadit; ſed ſol igne cadente non cernitur: quia illos, quos gehennæ flamma devorat, à viſione veri luminis cæcat: ut foris eos dolor combuſtionis cruciet, & intus pœna cæcitatis obſcuret: quatenus qui Authori ſuo corde, & corpore deliquerunt, ſimul corde, & corpore puniantur. At præ cunctis cruciatibus major eſt pœna damni, quæ æterno lumine, æterna beatitudine damnatos ſpoliat. Aſpice namque hos ſedentes in tenebris, & in umbra mortis, videbis, quod ſicut mors exterior ab anima dividit carnem; ita mors interior ſeparet à Deo animam. Prô! quale hujus mortis tormentum? Qualis iſta eſt ſeparatio? A longe quidquam cognoſcere poteris, ſi cogites, à quo ſeparet. Et ſi iſtam pœnam præſentem admireris, quomodo cogitatione peccare poteris?

## PUNCTUM SECUNDUM.

S*it memor, qualiter contemnentes Deum pro peccatis in gehennam incidunt.* Conſidera

ra præſentem pœnam ſenſûs, modo enim torquetur, qui damnatus eſt tali igne, tali frigore, ut omnis ignis, & calor hujus ſæculi in comparatione illius ardoris, & frigoris nihil ſit. Viſus illius ſemper conſpicit tetras, & horrendas Dæmonum facies. Auditus percipit voces deſperantium. Odor repletur fœtore intolerabili. Guſtus felle Draconum ſatiatur. Nullum membrum eſt, nullus ſenſus eſt, qui non amariſſima ſentiat tormenta; quæque ita varia, multa, & magna ſunt, ut nec numerari, nec comprehendi poſſint. O qui iſta ceu præſentia attenderet, an ullo ſenſu excedere auderet?

## PUNCTUM TERTIUM.

S*It memor, qualiter contemnentes Deum pro peccatis in gehennam incidunt.* Conſidera præſentem omnium pœnarum æternitatem. Luit enim damnatus, quæ fecit omnia nec tamen conſumitur. Perſolvit in tormento ea, quæ hic illicita ſervavit deſideria, & flammis ultricibus traditus ſemper moritur; quia ſemper in morte ſervatur. Non enim in morte conſumitur: quia ſi conſummaretur vita morientis, cum vita etiam pœna finiretur. Sed ut ſine fine crucietur, vivere ſine fine in pœna compellitur, ut cujus vita hic mortua fuit in culpa, illic ejus mors vivat in pœna. Cruciatur ergo, & non extinguitur; moritur, & vivit; deficit, & ſubſiſtit;

ſiſtit; finitur ſemper, & ſine fine eſt. Sic mors depaſcet peccatores in æternum. Hæc ſolo auditu terribilia ſunt, quanto magis paſſione? Quis iſtam æternam mortem præſentem cogitet, & præſentem voluptatem, & vanitatem mundi non contemnat?

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religioſe? præſentem pœnam damni conſideras, ne cogitatione delinquas? Quantum exaltavit ſe, tantum date illi luctum. An præſentem pœnam ſenſûs conſideras, ne ſenſibus exterioribus pecces? Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum. An præſentem pœnarum æternitatem conſideras, ne Deum præſenti voluptate, & vanitate deceptus offendas? Ite maledicti in ignem æternum. Dole, quòd noviſſimorum tuorum hucusque tam immemor vixeris. Propone illa ùt præſentia intueri, ne Deum offendas

1. Cogitatione,
2. Senſu exteriori,
3. Vanitate, aut voluptate hujus ſæculi.



## DIES XVII.

### Quòd in ordinariis potius, quàm in ſingularibus quærenda ſit perfectio.

Nihil

Nihil agat Monachus, nisi quod communis Monasterii regula cohortatur. Cap. 7. gr. 8. v. 69.

## PUNCTUM PRIMUM.

Aurea plane ista Ss. Patris nostri Regula est: *nihil agat Monachus, nisi quod communis Monasterii regula cohortatur.* Damnat singularitatem; jubet, ut in communi Regulæ observantia perfectio quæratur. Quæ enim singularia sunt, suspecta sunt de superbia, & vana gloria. Dum quippe singularia quis agit, jam non melius vivere, sed videri vivere gestit, quatenus dicere possit: Non sum sicut cæteri hominum. Plus sibi blanditur de uno jejunio, quod cæteris prandentibus facit, quàm si cum cæteris septem dies jejunaverit. Cùm autem ex his, quæ singulariter agit, famam, & æstimationem comparat, adhuc fortius ad singularia afficitur, & ad communia Ordinis, & Monasterii exercitia magis piger efficitur. Quis incurabilem hujusmodi singularistæ errorem non deprehendit? Nonne in vanum laborat? Nunquid ei dicetur. Recepisti mercedem tuam? Fuge igitur singularitatem. Qui enim hoc facit, quod nemo; mirantur omnes. Ea tantum age, quæ communia sunt. Ista si cum magna humilitate, & charitate perfeceris, perfectus eris. Non enim Deus tantum pensat, quantum quis agat, sed ex quanto faciat.

## PUNCTUM SECUNDUM.

N*Ihil agat Monachus, nisi quod communis Monasterii regula cohortatur.* Solent enim singularia plerumque infecta esse propria voluntate. Qui namque singularis est, semper privata, quæ voluntas propria appetit, inquirit, & communia, quæ obedientia injungit, negligit. Hinc dum alii labori, ipse orationi; dum alii somno, ipse vigiliis vacat. Nihil grave ei accidit, quantumvis grave sit, quod ex propriâ voluntate agit; at quodvis commune exercitium illi intolerabile videtur; quia ab obedientia illud procedit. Quis fraudem Diaboli in hoc nequissimo singularitatis vitio non animadvertit? Nunquid non ejusmodi exprobrabitur: Non placet mihi jejunium vestrum; quia in eo invenitur voluntas vestra? Voluntas Dei sanctificatio nostra est, & quæ ex hac voluntate fiunt, sancta sunt, perfecta sunt. Unde qui communia cum verâ mortificatione omnis proprietatis, & ex obedientia peragit, perfectus erit. Hac in re exemplo nobis est ipsemet Salvator, cujus utique cibus fuit facere voluntatem Patris sui, qui in cœlis est.

## PUNCTUM TERTIUM.

N*Ihil agat Monachus, nisi quod communis Monasterii regula cohortatur.* Quævis enim singularia plerumque acediam maxi-

mam in communibus poſt ſe trahunt. Sic ſingulariſta vigilat in lecto, dormit in chorô, eumque aliis pſallentibus dormitet, ſolus in oratorio poſt vigilias remanet, vigilat, orat. Minima negligit, magna & ſingularia attentat. At ipſa demùm, quæ agit ſingularia, ſine omni devotione, & puritate peragit; quia non Deum, ſed ubique ſeipſum in omnibus quærit. Quis hanc grandem deceptionem non intelligit? Nónne talis; quum ubivìs ſeipſum quærat, etiam ſeipſum inveniet, ſed ad perditionem? Nónne quia ſpernit modica, paulatim decidet? Nunquid audiet: maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter? Sanè qui nihil negligit, minima quæque, ac communia cum ſingulari devotione peragit, perfectus eſt. Plùs etenim Deo opus minimum cum magnâ devotione peractum placet, quàm opus magnum in acèdiâ conſummatum.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergò, ô Religioſe! ſingularia fugis, & perfectionem in communibus quæris per magnam humilitatem, & charitatem? Major autem horum charitas. An ſingularia fugis, & perfectionem quæris in communibus per magnam mortificationem, & obedientiam? Non veni facere voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me. An ſingularia fugis, & quæris perfectionem in communibus per magnam de-

devotionem? Beati mundo corde. Dole, quòd hucusque ad singularia promptus, & ad communia piger extiteris. Propone singularia fugere, & perfectionem in communibus quærere

1. Per magnam humilitatem, & charitatem,

2. Per magnam mortificationem, & obedientiam;

3. Per magnam, & singularem cordis devotionem.

## DIES XVIII.

## De triplici Religiosorum statu.

Diverte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & sequere eam. Prolog. §. 2. v. 13.

### PUNCTUM PRIMUM.

TRiplicem Religiosorum statum Ss. P. N. hisce nobis declarat: *Diverte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & sequere eam.* Alii enim sunt incipientes, qui peccatum ante omnia fugere conantur, & opere servant illud: *Diverte à malo.* Etenim cùm sensibus corporis servierint, atque omnia secundum sensualitatem suam æstimaverint, in varia peccata in sæculo inciderunt. Hinc conversionem monasticam amplexi, per fidem incipiunt agnoscere gravitatem peccati, & pœnas

nas peccatis debitas. Unde & eadem ſummopere deteſtantur, ac fugiunt. Continua eorum occupatio eſt, corpus ſuum ſubjicere, atque in ſervitutem redigere. Nec deſiſtunt; donec plenè omnes vitioſas paſſiones in ſemetipſis mortificaverint. Ecce! hæc eſt vita incipientium Religioſorum. Sed nunquid & tu adhuc hâc vitâ vivis, etiam poſt tot annos Profeſſionis tuæ? utinam omni anno unum ſaltem vitium ſuperâſſes, profectò ab omnibus jam liberatus fores. Ah! ſaltem modò pone manum tuam ad radicem; ſecùs nunquàm perfectionem, ad quam tendere obligaris, obtinebis.

## PUNCTUM SECUNDUM.

ALii ſunt proficientes, qui bonum agnoſcere, & exercere laborant. Et hi obſervant illud Ss. P. N. *Fac bonum.* Cùm enim à vitiis ſint purgati, per fidem agnoſcunt pretium virtutis, ejúsque immenſam in cœlis mercedem. Unde omni conatu eandem exercere tamdiu ſtudent; donec bonam ſibi conſuetudinem in quavis virtute faciant, atque in omni re quaſi naturaliter, & ipſa delectatione virtutis virtuoſos ſe exhibeant. Non enim ſolùm virtutem magni æſtimant, ſed etiam mirô modô ad eam afficiuntur. Quo namque ſæpiùs illam exercent, eò faciliùs, & libentius, atque frequentiùs in eâdem verſantur. Ah! cur tibi virtus adhuc tam ardua

eſt? Cur eam tam raró executioni mandas? Hucusque conſuetudinem bonam tibi facere neglexiſti. Neſcis æſtimare virtutem. Non afficeris ad eam. Et quid mirum, quòd tam parùm proficias in Regulâ tuâ, quæ virtutes multas, & magnas tibi præſcribit.

## PUNCTUM TERTIUM.


ALii ſunt perfecti, qui pacem in crebrâ ſui unione cum Deo acquirere contendunt. Iſti adimplent illud Ss. Patris noſtri: *Inquire pacem, & perſequere eam.* Etenim cùm virtutibus polleant, amore ſummi boni dulciter ad Deum trahuntur, ſpeculantur gloriam Dei, transformantur in eandem imaginem à claritate in claritatem ſicut à Domini Spiritu, cùm Apoſtolo dicunt: vivo ego, jam non ego; vivit verò in me Chriſtus. Quis hic cogitare poſſit, quâ torrente voluptatis anima perfecta perfundatur? Quis comprehendere, quâ dulcedine pacis fruatur? Nónne præ gaudio clamavit Ss. Pater, quando Deum vidit? Nónne anguſta ei erat omnis creatura? De hoc gaudio, de hac pace participat, qui dulciter per fidem Deum contemplatur, & per amorem in illum rapitur, ut & ipſe clamare poſſit: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque crea-

creatura alia poterit nos separare à charitate Dei. Ah! vel à longè ad hanc perfectionem conaris?

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religiose! si in statu incipientium versaris, viriliter passiones tuas abnegas! Qui vult post me venire, abneget semetipsum. An si in statu proficientium versaris, in virtutibus te exerces? Discite à me; quia mitis sum, & humilis corde. An si in statu perfectorum versaris, crebrò te Deo tuo unis? Ipsi in nobis unum sint. Dole, quòd per hos status ad perfectionem tuam non contenderis. Propone

1. In statu incipientium te abnegare.
2. In statu proficientium virtutes exercere.
3. In statu perfectorum crebrò te unire cum Deô.



# DIES XIX.

## Quod à Religiosæ vitæ deliciis abstrahi sit grave, & dolendum.

Inenarrabili dulcedine curritur via mandatorum Dei. Prolog. v. 34.

## PUNCTUM PRIMUM.

Qui semel gustavit illud Ss. Patris nostri, *inenarrabili dulcedine curritur via man-*

*datorum Dei*, utique valdè dolebit, si ab illâ abstrahatur. At doleat; utilis dolor est, ne in externa negotia se totum effundat, & ad interiora totus insensibilis reddatur. Paulatim enim mens à compunctione cordis, ab exercitio divinæ præsentiæ, ab utili recordatione novissimorum, ab actibus virtutum sic evacuatur, ut non tantùm non ampliùs se recolligat, sed etiam se recolligere penitùs negligat. Sic fit, ut sacram Regulam in pluribus quoad interiorem hominem transgrediatur. Verùm dum de tempore ad tempus dulcis suæ quietis, in quâ per varias mentis elevationes ad Deum deliciabatur, cum dolore reminiscitur, nondum ad exercitia insensibilis fit, ut nullum ex ipsis gustum, vel fructum referat. Dole igitur, quandò ab amplexibus speciosæ Rachelis per externas occupationes abstraheris, ne insensibilis fias. Nauseam equidem Deo movet insensibilitas, ut evomat insensibiles ex ore suo.

## PUNCTUM SECUNDUM.

I*Nenarrabili dulcedine curritur via mandatorum Dei.* Utilis est dolor, ut saltem in externis negotiis conetur rursùs mentem ad interiora recolligere. Dixi, conetur: nam quoties vis, & incassùm? Quoties moves, nec permoves? Quoties conaris, & non datur ultrà? Eniteris, & non obtines? Parturis, & non paris? Tentas, & abriperis? ubi incipis, ibi

ibi deficis: & dum adhuc ordiris, ſuccidunt te curæ externæ? Venerunt filii uſque ad partum (ait Propheta) & vires non habet parturiens. Nôſti hoc? Nemo te meliùs. Attritæ frontis es, & inſtar vitulæ Ephraim doctus diligere trituram, ſi omnem hunc quoque conatum abjicis, & pacata conſcientia in exterioribus jaces. Abſit: hæc eſt pars illius, qui datus eſt in reprobum ſenſum. Ab his ſanè cupio tibi pacem, non cum his. Nihil plùs me tuo tibi pace iſtâ. Miraris, ſi unquàm poſſit accidere? Etiam dico tibi, ſi res, ùt aſſolet, per conſuetudinem in incuriam venerit. Conare igitur cum dolore, & ſemper conare. Deus reſpiciet humilitatem, & laborem tuum, ne hâc falsâ pace cum reprobis fruaris.

## PUNCTUM TERTIUM.

I*Nenarrabili dulcedine curritur via mandatorum Dei.* Utilis eſt dolor, ut tandem per hunc ipſum ſæpè quis excitetur inter externa negotia, & curas ad frequentem introverſionem. Vix enim conſuetudinem bonam per frequentes mentis elevationes ad Deum tibi feceris, haud ſecùs ac lignum ſuper aquas ita & tu ſuper omnia terrena ſemper enatabis. + Nunquam grave & difficile tibi erit in omni externo opere, aut converſatione cum Deo tuo converſari dolebis, imò vix ſuſtinere poteris, ſi vel per brevem moram

ab

ab hoc ſancto exercitio ceſſaveris. Et quanta inde dulcedo mentis non oritur? Qualis profectus? Quantus fervor? Qualis devotio? Quanta perfectio? Planè hoc exercitium ita familiare fuit antiquis Patribus, ut vix non toties mente oraverint, quoties ore reſpiraverint.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergò, ô Religioſe! Doles, ſi per externa negotia ab introverſione abſtraheris, ne inſenſibilis fias? Guſtate, & videte; quoniam ſuavis eſt Dominus. An doles, ut ſaltem ad introverſionem coneris, ne falsâ pace fruaris? Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte univerſa delicta mea. An doles, ſi vel per brevem moram à Deô præſente mentem, animumque avertis? Bonum eſt confiteri Domino. Dole, quòd hucusque libens in exterioribus jacueris. Propone te totum ad interiora convertere, & dolere, ſi per exteriora ab introverſione abſtraheris,

1. Ne ad ſacra exercitia inſenſibilis fias.
2. Ne falſa pace, & ſecuritate conſcientiæ decipiaris,
3. Ne vel per brevem moram à Divina præſentia abſtraharis.

# DIES XX.

## De falſa Religione.

Mentiri Deo per tonſuram noſcuntur. Cap. 1. v. 3.

## PUNCTUM PRIMUM.

Multi veram mundo profitentur Religionem, ſed ùt Ss. Pater ait: *Mentiri Deo per tonſuram noſcuntur.* ›*Mentiuntur enim Deo per tonſuram*, qui portant crucem Chriſti, & non ſequuntur Chriſtum.‹ Duplici contritione conteruntur, qui hujusmodi ſunt, quando & hîc pro temporali gloria temporaliter ſe affligunt, & in futuro pro interna ſuperbia ad æterna ſupplicia pertrahuntur. Laborant cum Chriſto, ſed cum Chriſto non regnant. Sequuntur Chriſtum in paupertate ſua, ſed in gloria non ſequuntur. De torrente in via bibunt, ſed non exaltabunt caput in patria. Lugent nunc, ſed tunc non conſolabuntur. Et meritò. Quid enim facit ſuperbia ſub pannis humilitatis JEſu? Nunquid non habet, quo ſe palliet humana malitia, niſi unde involuta eſt ſanctitas Salvatoris? An non illi ſuperbiſſimi de Pſalmo, quorum prodiit ex adipe iniquitas eorum, multò tutius operti ſunt iniquitate, & impietate ſua: quàm nos latemus ſub ſanctitate aliena? Quis enim

magis

magis impius, an profitens impietatem, an mentiens ſanctitatem? Nónne is, qui etiam mendacium addens, geminat impietatem?

## PUNCTUM SECUNDUM.

M*Entiri Deo per tonſuram noſcuntur.* Qui conſolatiunculas miſeræ carnis ſuæ ſequuntur. Amat enim in carne ſua terrenas conſolatiunculas ſive in verbo, ſive in ſigno, ſive in facto, ſive in aliquo alio, & hæc interrumpunt aliquando, non tamen penitus rumpunt. Inde eſt, quod raro affectiones ſuas dirigunt in Deum, & eorum compunctio non continua, ſed horaria eſt. Inde tam pernicioſa tepiditas emanat, ut voluntas eorum nunquam plenè purgetur, nec bonum ſic velint, ſicut noverunt, à propria concupiſcentia abſtracti graviter, & illecti. Inde non ſapit ipſis Chriſtus, ſed caro; non ſapiunt ipſis ſua exercitia ſpiritualia, ſed terrena ſolatia; non ſapit ipſis Religioſa mortificatio, ſed carnalis repauſatio. De uno cum cæteris pane comedunt, ſed non cum ipſis ſatiantur. Semper eſuriunt. Quare? Impleri viſitationibus Domini anima non poteſt, quæ carnis deſideriis adhuc ſubjacet: & quanto magis illis evacuabitur, tanto amplius iſtis implebitur, ſi multum, multum; ſi parùm, parum; vel certè ſi magis probas, nunquam iſtæ illis miſceri poterunt in æternum; quia non mittitur vinum novum niſi in utres novos, ut ambo con-

ſer-

ſerventur. Neque enim caro, & ſpiritus; ignis, & tepiditas in uno domicilio commorantur, præſertim cum tepiditas ipſi Domino ſoleat vomitum provocare. O quantum mendacium! exterius ſpiritum, interius vero carnem ſequendo toti mundo illudere!

## PUNCTUM TERTIUM.

M*Entiri Deo per tonſuram noſcuntur*, qui ſcandala ſuſcitant, & patiuntur in domo Dei. Quomodo enim in domo concordiæ habitare fingat ſine mendacio, qui in ea ſuſcitat iras, diſſenſiones, & æmulationes? Quomodo ambulare cum conſenſu in domo pacis ſine mendacio ſimulet, qui quotidie in eadem conturbatur? Nónne enim ſcandalizamur, quando oculus noſter, dicam, voluntas noſtra minus rectam, & ſimplicem nobis ingerit intentionem? Nónne ſcandalizamur, quando voluntas propria manus noſtras à bonis operibus ad aliena opera trahit? Nónne ſcandalizamur, quando pes noſter, qui in ſancta converſatione per gradus ſcalæ, quæ Jacob apparuit, de virtute in virtutem deberet aſcendere, ſemper magis per puſillanimitatem deſcendit, & per negligentiam remiſſius ire conatur? Cave igitur, ne propter ſcandala Deo per tonſuram in domo Dei mentiaris. Erue oculum ſcandalizantem, & projice abs te. Hoc fiet, ſi reſiſtas ſiniſtræ intentioni. Erue manum ſcandalizantem, & projice abs te.

Iſtud accidet,ſi operetur manus tua inſtanter bonum quod poteſt. Erue pedem ſcandalizantem,& projice abs te. Hoc continget,ſi pes gratiæ, qui ſtat in directo, currat ſine offendiculo.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur,ô Religioſe! Deo non mentiris ſub humilitatis habitu per ſuperbiam?Ne acceſſeris ad Deum duplici corde. An non Deo mentiris ſub habitu mortificationis per carnis deſideria? In dolo renuerunt ſcire me, dicit Dominus. An non Deo mentiris ſub habitu charitatis per ſcandala? Non ætati noſtræ dignum eſt, ut multi propter ſimulationem meam decipiantur. Dole, quòd & tu hucusque Religionem falſam colueris. Propone non Deo mentiri

1. Per ſuperbiam,
2. Per carnis deſideria,
3. Per ſcandala.



## DIES XXI.

## IN FESTO PRÆSENTATIONIS B. V. M.

### De vera Religione.

Conſtituenda eſt à nobis Dominici ſchola ſervitii. Prolog. §. 4. v. 33.

Pun-

## PUNCTUM PRIMUM.

VErè vita B. V. Mariæ in templo ſchola eſt, in qua perfectam Monaſticen addiſcere poſſumus. Unde, dum Ss. Pater noſter Dominici ſcholam ſervitii erigit: *conſtituenda eſt à nobis Dominici ſchola ſervitii*, aliam in hac Magiſtram quærere non debemus, quàm B. V. Mariam in templo. Ipſa enim reliquit paternam domum in tenella adhuc ætate, ut & nos perfectè mundo renunciaremus. Impoſſibile namque eſt, quemquam doctrinam Chriſti exequi poſſe, niſi priùs renunciaverit omnibus, quæ poſſidet, ac Patrem, & Matrem, Sorores, & Fratres reliquerit. Imò nec ſufficit iſta exteriùs reliquiſſe, niſi etiam interiùs ex toto affectu eadem relinquat. Facile iterum etiam exteriora reaſſumet, qui non continuo Patrem, & Matrem, adhuc autem & animam ſuam propter Dominum odio habuerit. Sequere igitur Magiſtram tuam, poteris eſſe diſcipulus in Dominici ſchola ſervitii.

## PUNCTUM SECUNDUM.

C*Onſtituenda eſt à nobis Dominici ſchola ſervitii.* Et quàm lectionem præſegit nobis Magiſtra noſtra? Ecce! aſcendit ſola per quindecim gradus templi ſine adjumento ad Sacerdotem, quo magis Deo appropinquet. Poſtquam enim omnia reliquimus, neceſſe eſt, ut quotidie magis, ac magis in Deum profícia-

ficiamus. Nunquam equidem juſtus arbitratur ſe comprehendiſſe, nunqum dicit; ſatis eſt, ſed ſemper eſurit, ſititque juſtitiam, ita, ut ſi ſemper viveret, ſemper quantùm in ſe eſt, juſtior eſſe contenderet, ſemper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum, vel ad tempus inſtar mercenarii, ſed in æternum inſtar filii cum B. V. Maria Divino ſe mancipat famulatui. Audi enim vocem hujus Magiſtræ tuæ: in æternum non obliviſcar juſtificationes tuas. Non igitur ad tempus. Proinde juſtitia ejus manet non aliquanto tempore, ſed in ſæculum ſæculi.

## PUNCTUM TERTIUM.

C*Onſtituenda eſt à nobis Dominici ſchola ſervitii.* Qualis eſt demum ultimata lectio hujus dulciſſimæ Magiſtræ? Ecce! talis fuit Mariæ, ut ejus unius vita in templo omnium ſit diſciplina. Quantæ namque in una Virgine ſpecies virtutum emicant! ſecretum verecundiæ, vexillum fidei, devotionis obſequium, quid ego verò exequar, ciborum ejus parſimoniam, officiorum redundantiam: alterum ultra naturam ſuperfuiſſe; alterum penè ipſi naturæ defuiſſe? Illic nulla intermiſſa tempora, hic congeminatos jejunio dies. Dormire non prius cupiditas, quam neceſſitas fuit: & tamen cum quieſceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in

ſomnis

ſomnis aut lecta repetit, aut ſomno interrupta continuat, aut diſpoſita gerit, aut gerenda prænunciat. Sic enim diu, noctuque in amore crevit, ut illud de ſe à Spiritu ſancto prædictum ſtrenue adimpleret. Ego dormio, & cor meum vigilat. Sequere igitur Magiſtram tuam, & perfectus diſcipulus eris in ſchola Dominici ſervitii.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religioſe! ſequeris Magiſtram tuam in abrenunciatione? Niſi quis renunciaverit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. An ſequeris Magiſtram tuam in continuo profectu? Currite, ut comprehendatis. An ſequeris Magiſtram tuam in omni virtutum genere? Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Dole, quòd hucusque Magiſtram tuam ſecutus non fueris in ſchola Dominici ſervitii. Propone eandem imitari

1. In abrenunciatione.
2. In quotidiano profectu.
3. In omni virtutum genere.



## DIES XXII.

### Quòd non liceat aliis Ordinibns obtrectare.

Omnes in Chriſto unum ſumus. Cap. 2. v. 16.

## PUNCTUM PRIMUM.

NE aliquem Ordinem despiciamus, oportet, ut illud Ss. Patris nostri jugiter ante oculos ponamus: *Omnes in Christo unum sumus.* Quomodo enim membrum Christi, aliud ejusdem corporis membrum sine grandi superbia despiciet? Conveniendi plane sunt, qui contra illam sententiam, nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, aliis Ordinibus derogare non formidant. Quia enim suam justitiam solam volunt constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti, atque nullius Ordinis. Nam etsi ordinate vivant, loquentes tamen superbe cives se faciunt Babilonis, id est, confusionis, imo filios tenebrarum, ubi nullus ordo. Tu igitur, qui hujusce modi es, post auditam parabolam de Publicano, & Pharisæo redi ad cor; noli aspernari cæteros ordines: sed tuum opere tene, reliquos vero charitate. Faciet deinde charitas, ut ne quidem illorum fructu frauderis, quorum instituta non sequeris.

## PUNCTUM SECUNDUM.

O*Mnes in Christo unum sumus.* Quomodo ergo quis sine grandi injustitia alium Ordinem judicaverit? Quid ad te de alienis ser-

ſervis? Suo Domino ſtant, aut cadunt. Quis te conſtituit judicem ſuper eos? Cur in Fratrum oculis tam curioſe feſtucas perquiris? Cur in Regula gloriaris, & contra Regulam detrahis? Cur contra Evangelium ante tempus, & contra Apoſtolum alienos ſervos judicas? An Regula non concordat Evangelio, vel Apoſtolo? Alioquin Regula jam non eſt Regula; quia non recta. Audi igitur, & diſce prius Regulam tuam, qui aliis Ordinibus derogare præſumis. Hypocrita, inquit, ejice primum trabem de oculo tuo, & ſic videbis ejicere feſtucam de oculo fratris tui. Æſtima quidem Ordinem tuum, ut in eo ordinate vivas; ſed reliquos etiam ſincere ama. Sicut enim in domo Patris æterni manſiones multæ ſunt; ita hic ſunt multi Ordines in Eccleſia una. Et quomodo hic diviſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: ita ibi diſtinctiones quidem gloriarum, ſed una domus. Omnis autem unitas tam hic, quàm ibi una conſiſtit in una charitate.

## PUNCTUM TERTIUM.

OMnes *in Chriſto unum ſumus.* Quomodo igitur quis ſine gravi læſione charitatis alteri Ordini deroget? Omnes enim pariter concurrimus in unam tunicam, & ex omnibus conſtat una. Nam etſi ex pluribus, & diverſis, una eſt tamen columba mea, formoſa mea, perfecta mea. Alioquin nec ego

ſolus, nec tu ſine me, nec ille ſine utroque; ſed ſimul omnes ſumus illa una, ſi tamen ſoliciti ſumus ſervare unitatem Spiritûs in vinculo pacis. Non, inquam, tantum ordo noſter, aut ſolus alter ad illam pertinet viam; ſed noſter ſimul, & alter quilibet: niſi forte invicem invidentes, invicem provocantes, invicem mordeamus, & invicem conſumamur. Illa equidem una dicit in canticis: ordinavit in me charitatem, ut etſi una ſit in charitate, diviſa tamen ſit ordinatione. Omnes hinc amandi ſunt, & magnificandi Ordines, ſed non omnes tenendi. Quare? Unusquisque in ea vocatione, in qua vocatus eſt, permaneat.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religioſe! deſpicis alios Ordines? Gratias ago tibi Deus; quia non ſum, ſicut cæteri hominum. An dijudicas cæteros Ordines? Nolite judicare, ut non judicemini. An aliis Ordinibus derogas? Maledici regnum Dei non poſſidebunt. Dole, quòd unitatem Ss. Ordinum dividere, & ſcindere hucusque non reveritus fueris. Propone

1. Alios Ordines non deſpicere,
2. Non dijudicare,
3. Non ipſis derogare, ſed omnes amare, honorare, & tuum adimplere.



## DIES XXIII.

### Quibus mediis amor proprius eradicandus ſit.

Abnegare ſemetipſum ſibi. Cap. 4. Inſtr. 10.

## PUNCTUM PRIMUM.

AMor proprius cum ſit radix omnium vitiorum, merito quivis jubetur à Ss. Patre, *abnegare ſemetipſum ſibi*; Nam hic amor à ſemetipſo ſemper incipit, & in ſemetipſo finitur. Verum quomodo abnegandus? Amore Dei. Ait Job. Cap. 7. 15: *Elegit ſuſpendium* anima mea, & mortem oſſa mea; deſperavi, nequaquam ultra vivam. Quid enim per animam, niſi mentis intentio; quid per oſſa niſi amor proprius deſignatur? Anima ergo ſuſpendium eligit, ut oſſa moriantur: quia dum mens ad charitatem Dei ſe ſublevat, omnem amorem proprium in ſe necat. Sancti namque viri certiſſime ſciunt, quod habere in hac vita requiem non poſſunt; & idcirco ſuſpendium eligunt, ut ſua deſideria deſerentes ad alta animum tollant. Pars mea Dominus dixit anima mea; propterea exſpectabo eum, ipſe Dominus pars ejus eſt, cujus amore omnia deſpicit, & ipſum ſolum præ ſe, & omnibus habere eligit.

## PUNCTUM SECUNDUM.

A*Bnegare ſemetipſum ſibi* , hoc eſt , amorem proprium. Et quomodo ? Contemptu terrenorum. Omnis enim anima infirma quærit ſibi aliquid terrenum , ubi requieſcat , velut ſunt iſta , quæ etiam diligunt homines innocentes. Non equidem mala eſt ſolum illa cupiditas , quæ carnem , aut prohibitas voluptates mundi inſectatur ; ſed inordinata quoque eſt , omnis ea , quæ nimio amore præter æternam beatitudinem aliquid appetit. Hinc Deus volens nos amorem non habere , niſi æternæ vitæ , omnibus aliis delectationibus miſcuit amaritudines , quatenus eo libentius terrenorum contemnamus amorem , quo acerbiores in his experimur tribulationes. Docemur quippe amare meliora per amaritudinem inferiorum , ne viator tendens ad patriam , ſtabulum amet pro domo ſua. Ego dixi : Domine miſerere mei , ſana animam meam auferendo etiam amorem licitum rerum ſæcularium. Quòd ſi ex iſto damna ſequuntur homini , quanta , & qualia conſurgent nocumenta ex amore malo ?

## PUNCTUM TERTIUM.

A*Bnegare ſemetipſum ſibi* , hoc eſt , amorem proprium. Et quomodo ? Contemplatione mortis. Non enim ſe moriturum ;

ſed

ſed jam mortuum credit. Qui cum Apoſtolo ſibi mundum, & ſe mundo crucifixum eſſe cupit. Sicut enim mortuus nec delectabile quidquam videt, aut guſtat; ita nec ipſe quidquam ex his, quæ ſenſibus haurit, amat. Et ſicut mortuus ſic vituperantes, ut laudantes æqualiter attendit; ita ipſe: imo vero non attendit; quia mortuus eſt. Omnino felix eſt iſta cogitatio mortis, quæ immaculatum ſervat, imo alienum facit penitus ab amore proprio, ut non vivat amplius in ſe; vivat vero in eo Chriſtus. Ad alia namque omnia mortuus eſt; non ſentit, non curat, non cupit, niſi ea, quæ Chriſti ſunt. Hæc ſolum illum vivum inveniunt, & paratum ad omnia. O qui hac vita viveret, plane divina vita viveret!

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religioſe! amorem proprium amore Dei eradicare ſtudes? Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ JEſu Chriſti. An amorem proprium contemptu terrenorum eradicare ſtudes? Omnia detrimentum feci propter eminentem ſcientiam Domini mei JEſu Chriſti. An amorem proprium contemplatione mortis eradicare ſtudes? Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto. Dole, quòd amorem proprium eradicare hucusque non laboraveris. Propone

1. Amorem proprium amore Dei.
2. Contemptu terrenorum,
3. Contemplatione mortis eradicare.



## DIES XXIV.

## De nociva familiaritate cum sæcularibus.

Monachis vagari foras omnino non expedit animabus eorum. Cap. 66. v. 8.

## PUNCTUM PRIMUM.

QUàm nociva sit Monacho familiaritas cum sæcularibus, testis est puerulus ille, de quo S. Greg. in vita Almi Patris nostri narrat; quòd parentes suos, ultra quàm deberet, diligens, ad eorum habitaculum tendens, atque sine benedictione de Monasterio exiens, eodem die mox ut ad eos pervenit, defunctus sit. Graviter enim hoc SS. Pater vetuit, quando in S. Regula ait: *Monachis vagari foras omnino non expedit animabus eorum.* Et merito. Familiaritas ista rursus nos immiscet curis, & negotiis sæculi. Nonne ipsemet Dominus hunc tenerum affectum erga parentes, propinquos, aut alios dilectos sæculares, quantumvis pios, mortificare suo nos exemplo docuit, quando in nuptiis Matri suæ respondit: quid mihi, & tibi est mulier? Hoc utique non dixit velut indignans, sed propter nos, ut conversos

ad

ad Dominum jam non ſolicitet carnalium cura parentum, propinquorum &c. & neceſſitudines illæ non impediant exercitium ſpirituale. Quamdiu enim ſumus de mundo, debitores nos eſſe conſtat parentibus &c. At poſtquam reliquimus nosmetipſos, multo magis ab eorum ſolicitudine liberi eſſe debemus. Retroſpicit, quisquis familiariter cum ſæculi hominibus converſatur. Neceſſe equidem eſt, ut quos amore proſequitur, hos quoque magna cura, ſed majori diſpendio Religionis juvare nitatur.

## PUNCTUM SECUNDUM.

*MOnachis vagari foras, omnino non expedit animabus eorum.* Quia ex familiaritate cum ſæcularibus diſcunt principia eorum. Unde namque quidam Religioſi ſapientia hujus ſæculi, cui abrenunciârunt, toti quanti pleni ſunt? Didicerunt eam ex conſortio ſæcularium. Unde principia mundi extra mundum in Monaſterio conſtituti probant, & exequuntur, atque principiis Religionis multum præponunt? Didicerunt à ſæcularibus. Undé ſapientia abundant; quam caro & ſanguis revelat, & cui juxta Apoſtolum acquieſcere noluiſſe videbantur? Sæculares iſtam eos ſapientiam docuerunt. Sed pro quam deſipis vehementer, ſi ita ſæcularibus ſapis Non ſapies ea, quæ Spiritûs; ſed quæ carnis ſunt. Non ſapies ea,

quæ

quæ vocationis tuæ ſunt; ſed quæ mundi ſunt. Non ſapies ea, quæ Dei ſunt; ſed quæ Principis tenebrarum harum ſunt. Ex hac conformatione cum hoc ſæculo nequam, cui conformari vetamur, omnis ruina diſciplinæ Monaſticæ, imo ipſorum Monaſteriorum provenit. Mundus enim non amplius eſſet mundus, ſi monaſtica amplecteretur principia. Et Religio non poteſt amplius eſſe Religio, dum mundana tenet principia.

## PUNCTUM TERTIUM.

M*Onachis vagari foras, omnino non expedit animabus eorum*; quia per familiaritatem cum ſæcularibus rurſus eorum vitiis implicantur. Videas enim eos rurſus ambitione majori, quàm in ſæculo, inflari; gulæ deſideriis ſatisfacere; avide lucra captare præſentia; ſæculariter tranſitoriis utilitatibus adgaudere; ad terrenarum damna vel minima facultatum puſillanimiter turbari, ac ſi in his tota eſſet eorum portio, univerſa ſubſtantia. Vah! quinam alieni comederunt ita robur Religioſi? Sæculares. Ex horum multa converſatione didicit opera eorum, & ſervivit ſculptilibus eorum. Tu ſequere fratrem illum in eremo converſantem; ſi quis tuam familiaritatem ſæcularis expetit. Etenim cum carnalis ejus frater ad eum auxilii gratia adventâſſet, reſpondit, ut adiret alterum fratrem eorum. Cumque admiratus,

tus, qui venerat, reſponderet: quia ille obiit; Eremita ſe quoque ſimiliter obiiſſe repoſuit.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religioſe! nullam cum ſæcularibus familiaritatem habes, ne eorum curis impliceris? Fugite mundum, & quæ in mundo ſunt. An nullam cum ſæcularibus familiaritatem habes, ne eorum principia addiſcas? Nolite conformari huic ſæculo. An nullam cum ſæcularibus familiaritatem habes, ne vitiis eorum inquineris? Quidquid in mundo eſt, concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ eſt. Dole, quòd hucusque nimium mundo addictus fueris. Propone omnem cum ſæcularibus familiaritatem fugere,

1. Ne eorum curis,
2. Principiis, aut
3. Vitiis inquineris.



## DIES XXV.

## IN FESTO S. CATHARINÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

### Quomodo ſapientia acquiratur.

Univerſa incipiet cuſtodire delectatione virtutum. Cap. 7. v. 89.

PUN-

## PUNCTUM PRIMUM.

AD acquirendam Sapientiam necesse est, ut primum quis mundetur à vitiis. Unde S. Catharina Sapientiæ increatæ non potuit prius desponsari, quàm à peccatis per Baptismum abluta fuit. Hoc ipsum affirmat Ss. Pater noster; quando ait: *universa incipiet custodire delectatione virtutum; quæ Dominus jam in operarium suum mundum à vitiis, & peccatis Spiritu sancto dignabitur demonstrare.* Quid enim aliud est sapientia, quàm amor virtutis? Ubi autem amor est, labor non est, sed sapor. Et forte sapientia à sapore denominatur, quód virtuti accedens quoddam veluti condimentum eam sapidam reddat, quæ per se insulsa quodammodo, & aspera sentiebatur. Hunc saporem perdidimus ab ipso pene exortu generis nostri. Ex quo cordis palatum sensu carnis prævalente infecit virus serpentis antiqui, cæpit animæ non sapere bonum, sed malum. Proni namque sunt sensus hominis, & cogitationes ad malum ab adolescentia sua. Hinc sapor mali excludendus est, ut boni quidam intimus sapor mentis intima occupare tota suavitate sentiatur. Ad hoc vero oportet præcedere notitiam boni: quia non est societas luci sapientiæ, & tenebris ignorantiæ. Oportet & bonam præire voluntatem; quia in malevolam animam non introibit sapientia.

Pun-

## PUNCTUM SECUNDUM.

*UNiverſa incipiet cuſtodire delectatione virtutum.* Ad iſtam ſapientiam obtinendam requiritur, ut ſapientiam hujus mundi & carnis vincamus. Unde & mundanam ſapientiam in illis 50. Philoſophis ad fidem converſis triumphavit B. Catharina. Quantos enim mundi, & carnis ſapientia maledicta ſupplantat, & conceptum in eis Spiritum extinguit, quem voluerat Dominus vehementer accendi? quantos retardat à capeſſenda Evangelica perfectione, quam tamen tam ſolemniter profeſſi ſunt? Quantos à cœpta jam perfectionis ſemita retrocedere perſuadet? At vocat eos nunc magni conſilii Angelus, ut quid aliena conſilia præſtolentur? Quis fidelior, quisve ſapientior illo? Sane cunctandum non eſt, ut ejus conſilia exequamur, quando per ea ab ore putei gehennæ eripimur. Aut quis hic inducias petat, aut retardetur? Perſeverandum plane in ejus conſiliis eſt, quando perſeverantibus ſalus æterna offertur. Secus quid Evangelium frequentamus, ſi Evangelio obedire nolumus? Ut ſequamur ergo Evangelium, prudentia carnis, & ſapientia mundanæ elationis calcanda eſt. Hanc quia abjicere noluit, qui dixit: Magiſter volo te ſequi, quocunque ieris; reſponſum aliud à Domino non retulit, quàm vulpes foveas habent, & volucres cœli nidum: Filius autem hominis non habet,

bet, ubi caput reclinet, prudentiam carnis in fovea vulpis; in nido vero volucris arguente mundi elationem. His quippe exclusis primum sapiet virtus.

## PUNCTUM TERTIUM.


U*Niversa incipiet custodire delectatione virtutum.* Ad istam sapientiam acquirendam requiritur, ut unaquæque res sapiat, prout secundum Deum est. Nam in eo veræ dilectionis sapor est, qui quascunque res secundum Deum examinat, & pro earum bonitate, quàm habent ad Deum, amat. Et primo quidem, quia Deus summum bonum est, sapiet tibi super omnia. Deinde sapies etiam tu tibi ipsi, sed non nisi in quantum Dei es; quia solum per ipsum bonus es. Sapiet quoque tibi proximus non aliter, quàm tu tibi ipsi propter Deum; quia, ut tu, homo est. Aliæ quæcunque demum res aliter tibi sapere non poterunt, quàm te ad æternum tuum bonum deducunt. Quæ te vero ab eo avertunt, sapient tibi minime, quia tibi summe malæ sunt. Ecce! hæc fuit sapientia S. Catharinæ, per quàm ei tormenta, rotæ falcatæ, verbera, mors ipsa; plusquam deliciæ, blanditiæ, honores, divitiæ, aut vita longæva placuerunt. Et qui eam non sequitur, nunquam sapiens erit, quia virtus nunquam ei sapiet. Ut consequatur, necesse est, ut res non in se, sed secundum fidem in ordine ad Deum ponderet.

Pun-

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religioſe! vitia abjicis, ut ſapiat tibi virtus? Sapientia non habitabit in corpore peccatis ſubdito. An mundi, & carnis prudentiam abjicis, ut virtus tibi ſapiat? Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvare credentes. An res ſecundum Deum æſtimas, ut ſapiat tibi virtus? Ordinavit in me charitatem. Dole, quòd S. Catharinam in ſapientia imitatus non fueris. Propone eam ſequi,

1. Abjiciendo vitia,
2. Relinquendo mundi, & carnis prudentiam,
3. Æſtimando, & amando res in ordine ad Deum.



## DIES XXVI.

### De miſericordia S. Conradi Ep. erga tribulatos.

In tribulatione ſubvenire. Cap. 4. Inſtr. 18.

## PUNCTUM PRIMUM.

SAnctus Conradus poſtquam in Epiſcopum ob doctrinam, & morum ſanctitatem electus eſt, ſummopere ſtuduit, ut pauperibus, & quibusvis corporaliter afflictis ſuccurreret: hinc ad eorumdem uſum Xenodo-

chium conſtruxit. Hunc miſericordiæ affe-
ctum & nobis commendavit Ss. P. N. Bene-
dictus; dum cap. 4. Inſtr. 18. ait: *In tribu-
latione ſubvenire.* Et merito. Charitas ete-
nim in miſericordiæ operibus conſiſtit; nam
probatio dilectionis, eſt exhibitio operis. Si-
quidem, qui habuerit ſubſtantiam hujus
mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem
patientem, & clauſerit viſcera ſua ab eo,
quomodo charitas Dei manet in eo? Si enim
fratrem ſuum, quem videt, non diligit;
Deum, quem non videt, quomodo poſſet
diligere? Quomodo ejusmodi audient: quia
quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feci-
ſtis. Venite Benedicti Patris mei, percipite
regnum, quod vobis paratum eſt? An non
potius audient; quia non feciſtis uni ex mi-
nimis meis, nec mihi feciſtis. Ite maledicti
in ignem æternum? Ergone dices ô Religioſe!
reprobus ſim, quia opera corporalia miſeri-
cordiæ exercere ad me non pertinet? Abſit
Non enim impotentes; ſed nolentes condem-
nantur. Viſcera equidem non claudit à pro-
ximo ſuo, qui ſi poſſet, vellet ſubvenire.
Hanc ipſam voluntatem Deus pro facto re-
putat. Examina ergo te, an hanc habeas
voluntatem, & ſi habueris, non condem-
naberis. Nequaquam vero habebis, dum
pauperem, infirmum, peregrinum vides,
& nullam compaſſionem ſentis, nec oratio-
nem, nec gemitum pro illo effundis. Ete-
nim ſi non das compaſſionis affectum, qui

quo

quo plus datur, plus abundat; quomodo terrenam substantiam dares, quæ divisa minuitur?

## PUNCTUM SECUNDUM.

SAnctus Conradus non solum opera corporalia, sed & spiritualia misericordiæ exercuit; quando errantes in viam salutis reduxit, dubitantibus consuluit, peccatores ad pœnitentiam permovit, omnibus Mariam afflictorum auxiliatricem dedit, mirabilem, & miraculosam ejusdem Capellæ Einsidlensis consecrationem mundo patefaciendo. Et hunc affectum misericordiæ recommendat nobis hisce: *In tribulatione subvenire* Ss. P. N. Ab hisce operibus misericordiæ nemo se excusare poterit, quandoquidem ipsemet Ss. P. N. suo nos exemplo ad eadem invitat. An non enim rusticam plebem ad se venientem in Sublaco instruxit, atque multos ad pietatis gratiam à bestiali mente mutavit? An non Idololatras prædicando ad fidem convertit? An non sancti ejus discipuli integras nationes ad Ovile Christi reduxerunt? Divinum sane opus est, convertere peccatores. Quid enim aliud potius egit filius Dei, quàm ut errantes doceret, sedentes in tenebris illuminaret, omnes dirigeret in viam salutis? Salutiferum quoque opus est, convertere peccatores. Scire enim debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à mor-

te, & operiet multitudinem peccatorum. Ergo & tu, si aliud opus misericordiæ ad conversionem peccatorum exercere non potes, ora saltem, ut salventur: multum enim valet deprecatio justi assidua.

## PUNCTUM TERTIUM.

SAnctus Conradus misericordem se demum exhibuit animabus in purgatorio, cùm ad catharactas Schaffusianas duas ejusmodi in aquis dire cruciatas lecto sacro mox à pœnis liberavit. Et hunc affectum misericordiæ nobis commendat Ss. Pater noster, dum hortatur *in tribulatione subvenire.* Nam quinam magis merentur nostram subventionem, quàm animæ in purgatorio? Seipsas juvare nequeunt; & grandis est cruciatus earum. Juvemus igitur illas, quantum valemus. Etenim qua mensura mensi fuerimus, remetietur nobis. Nam & per ignem nobis transeundum erit, & uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit. Ibi enim aurum nostrum vertetur in scoriam, ibi revelabitur universa impuritas, ibi veritas ipsa accepto tempore, quod nobis interim datum contemnimus, justitias judicabit. Quid verò illic omnes justitiæ nostræ, nisi pannus menstruatæ reputabuntur? Quidquid nunc parvipendendo transimus, palpando tegimus, dissimulando negligimus, quanto illic cruciatu vindex flamma consumet? Utinam modo erga purgantes animas misericordes essemus,

mus, ut & nos misericordiam tunc consequeremur!

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religiose! misericors es erga corporaliter afflictos? Infirmus fui, & visitastis me &c. An misericors es erga spiritualiter tribulatos? Quid vobis videtur? si fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex eis; nonne relinquit nonaginta novem in montibus, & vadit quærere eam, quæ erravit? An misericors es erga animas purgantes? Sancta, & salubris est cogitatio exorare pro defunctis. Dole, quòd misericordiam S. Conradi hucusque non exercueris. Propone misericors esse

1. Erga corporaliter afflictos,
2. Erga spiritualiter tribulatos,
3. Erga animas in purgatorio detentas.



## DIES XXVII.

### Quomodo abusus invalescant, ut pro ordine teneantur.

In omnibus omnes magistram sequantur Regulam, neque ab ea temere devietur à quoquam. Cap. 3. v. 6.

## PUNCTUM PRIMUM.

MAgnum sane, & grave Ss. Patris nostri præceptum est; *in omnibus omnes ma-*

*gistram sequantur Regulam, neque ab ea temerè devietur à quoquam:* sed prô? quot non abusus contra eam in tantum invalescunt, ut pro ordine jam teneantur; dum antiquus, & à Patribus nostris semper cultus rigor remittitur. Ipsi enim usque ad infirmos per statuta regulæ temperarunt rigorem, non Regulam destruxerunt, ut in ea plures salvarentur. Absit autem, ut tantas vanitates, ac superfluitates, quantas subinde videre est, præceperint, vel concesserint. Miror etenim, unde inter Monachos tanta intemperantia, vanitas, ac superfluitas, atque remissio inolescere potuit: quatenus, ubi hæc studiosiùs, voluptuosiùs, atque effusiùs fiunt, ibi ordo meliùs teneri dicatur, ibi major putetur religio. Ecce enim parcitas putatur avaritia, sobrietas austeritas creditur, silentium tristitia reputatur. Econtrà remissio discretio dicitur, effusio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio jucunditas, mollities, vanitas & superfluitas honestas, neglectus correctionis regularis misericordia. Cùmque hæc alterutrum impendimus, charitas appellatur. Ista charitas destruit charitatem, hæc discretio discretionem confundit. Talis misericordia crudelitate plena est, quâ videlicet ita corpori servitur, ut anima jugulетur. Quæ enim charitas est, carnem diligere, & Spiritum negligere? Quæve discretio, totum dare corpori, & nihil animæ? Qualis verò misericordia, ancillam reficere, & dominam interficere! Tu ergò

nihil

nihil remitte de rigore Regulæ à Patribus per ſtatuta temperato, ne temerè à Regulâ declines.

## PUNCTUM SECUNDUM.

IN *omnibus omnes magiſtram ſequantur Regulam, neque temerè ab eâ devietur à quoquam:* at quot non abuſus contra eam inducuntur, quando transgreſſiones ejus in uſum deducuntur! Poſtquàm enim terribili Deî judiciô primas transgreſſiones impunitas ſequitur, libenter repetuntur, repetitæ blandiuntur. Sic paulatim ſopitur timor, ligat conſuetudo, ut jam indifferenter libita pro licitis uſurpentur, nec ab illicitis cogitandis, patrandis, inveſtigandis animus, manus, vel pedes prohibeantur; ſed quidquid in cor, buccam, ad manum venerit, contra Regulam fiat. Ipſa hæc conſuetudo transgreſſionibus demum obtenditur; at fruſtrà: nam conſuetudo in vitiis non juſtificat, ſed multiplicat peccata. Cave igitur, ne & tu per conſuetudinem abuſus contra Regulam inducas, & ſic temerè ab eâ devies.

## PUNCTUM TERTIUM.

IN *omnibus omnes magiſtram ſequantur Regulam, neque temerè ab eâ devietur à quoquam.* Sed prô! quanti abuſus contra eam fiunt; quando eis nemo reſiſtit. Nonnulli enim vanitatibûs, aut ſuperfluitatibûs contra Regulam, vel ſtatuta pro aliorum more utuntur;

tur; ſed tanquàm non utantur, & ideò aut cum nullâ oſtenſâ, aut cum minimâ. Aliquanti contra Regulam, aut ſtatuta agunt, ne diſcorditer vivant ab aliis, ſectantes in his non ſuam libidinem, ſed aliorum pacem. Alii autem; quia multitudini reſiſtere non valent contradicentium. At & iſtîs modîs nimiùm abuſus invaleſcunt, ut ferè ab omnibus ſine querelâ, atque irreprehenſibiliter obſerventur. Væ tamen illis, qui poſſent, & deberent reſiſtere! væ illis, per quos ſcandala iſta innumera veniunt! tu verbô, & exemplô, aut ſaltem bonâ voluntate reſiſte, ſi aliter malo remedium afferre nequeas. Ita pœnis ſcandalizantium obnoxius non eris.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religioſe! non remittis à rigore Regulæ, & ſtatutorum, ne abuſus pro ordine obſervandos introducas? Ecce lex, ſub qua militare vis! an non abuſus introducis per conſuetudinem transgrediendi S. Regulam, ut pro ordine obſerventur? Sciat, ſe omnem Regulæ diſciplinam ſervaturum. An reſiſtis verbo, exemplo, aut bona ſaltem voluntate, ne abuſus pro ordine obſerventur? Præcipuè præſentem Regulam in omnibus conſervet. Dole, quod & tu forſan anſam plurimi abuſus contra Regulam, & ſtatuta dederis. Propone ideo

1. A rigore Regulæ, & ſtatutorum nihil remittere.

2. Nul-

2. Nullam consuetudinem transgrediendi Regulam admittere.

3. Abusibus verbo, exemplo, aut saltem bona voluntate semper, quantum in te est, resistere.



## DIES XXVIII.

## De contemptu humanæ laudis.

Elationem fugere. Cap. 4. Instr. 67.

## PUNCTUM PRIMUM.

Quantum Ss. Pater contempserit humanam laudem, testatur S. Gregorius in ejus vita, dum ait, quod fracto per nutricem capisterio, & à se per miraculum reparato, Benedictus plus appetens mala mundi perpeti, quam laudes, nutricem suam occulte fugerit. Ipsemet hinc eundem nobis humanæ laudis contemptum inculcat; quando jubet, *Elationem fugere*. Quid enim magis causat elationem, quam laus humana? At merito fugienda est; quia vana est. An non vanum est; cum sæpe id, de quo te laudant homines, laude dignum non sit? Aut si dignum sit, nunquid non vanum est, gloriam suam labiis hominum, arcæ sine clave, sine sera committere? Nonné stultum est, thesaurum suum ibi recondere, unde resumere quis non valeat,

leat,cum voluerit? Si etenim ponis gloriam tuam in os meum, jam non in tua poteſtate, ſed in mea eſt; quandoquidem pro meo libitu vel laudare te poſſum,vel tibi derogare. Et qui de hac hora laudo, poſt horam de eadem re fors vitupero: aut qui nunc in faciem te magnifico, mox à tergo irrideo, & denigro: vel qui ore te exalto, corde te deſpicio. Quis igitur non contemnat laudem humanam, quæ tam vana, falſa, & inanis eſt, atque tam velociter cum ſonitu verborum tranſit? Tu, ſi ſapis, gloriam tantum quæres in conſcientia tua, quæ illam tibi ſervabit vivo, & illæſam mortuo reſtituet. Ubique enim tibi vel gloria, vel confuſio inſeparabilis adeſt.

## PUNCTUM SECUNDUM.

E*Lationem fugere;* quia laus humana nociva eſt. Si enim falſa eſt; tunc qui te beatificant, in errorem te mittunt. Cùm verò laudari te comperis de bono,quod fortè te habere cognoſcis; nihilominùs, quantum in te eſt, ſcuto veritatis cura à te repellere jaculum favoris, dans Deo gloriam, & dicens: gratia Dei ſum id, quod ſum. Secùs, ſi tibi adſcripſeris, bonum, quod habes,deperdis, atque ad novas gratias recipiendas indignum te reddis. Tinea corrumpet theſaurum tuum. Proba igitur tu ipſe opus tuum, & ſic in temetipſo gloriam habebis, &

non

non in altero. Ad hoc cogita illud Senis: quia, qui plus, quam dignus eſt, honoratur, aut laudatur, amplius patitur detrimentum: qui autem non fuerit omnino ab hominibus honoratus, hic deſuper glorificabitur.

## PUNCTUM TERTIUM.

E*Lationem fugere* in laudibus humanis; quia laus vera, & ſincera à ſolo Deo eſt. Deus quippe ſolus nec falli poteſt, nec adulari. Deus neminem facilè laudat, quem laude poſſe inflari videat, vel quem ex fine debere reprobari prævideat. Homini quidem rectè dicitur, ne laudet hominem in vita ſua: cujus ſicut ſcire non poteſt intima, ſic nec præſcire noviſſima; cùm de ſeipſo quoque conſiteri habeat; nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum. Sunt enim juſti, & ſapientes, & opera eorum in manu Dei ſunt, & tamen nemo ſcit, utrum ſit dignus amore, an odio; ſed omnia in futurum ſervantur incerta. Felix igitur, qui omnem ſuam laudem non ab hominibus, ſed à Deo ſolo quærit, & exſpectat. Sic nunquàm decipietur à laudibus humanis, nec ſemetipſum decipiet elatione ob laudes hominum; ſed ſi gloriari voluerit, in Domino gloriabitur.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religioſe! laudem humanam ex animo contemnis; quia vana eſt? Va-

nus vanum laudat. An laudem humanam ex animo contemnis; quia nociva eſt? Attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. An laudem humanam ex animo contemnis; quia vera, & ſincera laus à ſolo Deo eſt? Dilexerunt gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei. Dole, quod hucusque laudem humanam tam ſtudioſe quæſieris. Propone eandem ex animo contemnere, atque ideo

1. Gloriam tuam tantum quærere in conſcientia tua,

2. Gloriam fideliter Deo adſcribere, ac

3. Gloriam veram, & ſinceram ab eo ſolo in cœlis exſpectare.



## DIES XXIX.

### De contemnendis vituperiis hominum.

Maledicentes ſe, non remaledicere. Cap. 4. Inſtr. 32.

### PUNCTUM PRIMUM.

NEmo magis hoc inſtrumentum: *Maledicentes ſe non remaledicere*, obſervabit; quàm qui vituperia hominum contemnit. Contemnenda autem ſunt; quia cum ſonitu ver-

verborum evanescunt, nec capillum de capite lædunt. Si enim taces, & convitium convitio non reddis, mox vituperium ita transibit, ut post horam nemo amplius ejusdem recordetur. Quo vero tenacius illud à te repellere satagis, eo fortius, & longius id animis audientium inscribis. Quod si cum contemptu, & quasi non audiens sustinueris, à cæteris quoque non attendetur. Potius ille, qui vituperium intulit, quàm qui patienter tulit, despicitur. Sequere Ss. Patrem tuum, qui vituperantem, & clamantem Dæmonem: maledicte, non Benedicte! nullo responsionis verbo dignatus est, & eandem, quam ipse de hoste antiquo, tu de inimico tuo referes victoriam.

## PUNCTUM SECUNDUM.

M*Aledicentes se non remaledicere*, quia contemnenda sunt vituperia hominum, cùm ipsis potius, quam læsis noceant. Vituperator equidem non aliter se ipsum priùs vituperat, quàm qui accendit ignem priùs concalescit, qui duros silices manu cedit, ipse non lapides vapulat, qui ad stimulos calcitrat, seipsum ferit. Cui nocuit Semei, David virum sanguinum, & impium, milléque malis infectum appellans? Certè! non David, sed sibi. Unde David nec irritatus est, nec vindictam de eo sumere voluit, sed Imperatorem exercitûs rogantem, ut caput illius truncaret, coercuit: Quid mihi, & tibi, fili Sarviæ! dimitte eum,

ut maledicat, si fortè aspiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac? Qui enim alterum vituperiô afficit, divinæ relinquitur vindictæ. Dominus ultionum namque dicit: Mihi vindicta, ego retribuam. Sed quam horrendum est incidere in manus Dei viventis! ecce! David contumeliis affectus cum pace redit ab exilio; Semei verò reddidit Dominus malitiam suam in caput suum; nam percussus à Banai à filio Jojadæ interiit.

## PUNCTUM TERTIUM.

M*Aledicentes se non remaledicere*, quia gloriosum est contemnere vituperia hominum. Non enim injuriam pati, sed injuriam facere, aut nescire pati, ignominiosum est. Quot, quantàsque injurias ferebat David? quot quantasque faciebat Saul? Quisnam horum fuit gloriosior? Nónne qui ignominias tulit, David? Nónne semper victorias de inimicissimo hoste suo reportavit? At quam primum & ipse injurians factus est; nunquid non in conspectu solis confusus fuit? Nemo igitur potest tibi gloriam tuam auferre coram hominibus, quamdiu patiens fueris. Imò augebit tantò ampliùs eandem, quantò majora vituperia intulerit. Nec solùm gloriam tuam in terris, sed & in cœlis mirum in modum adauget, ita, ut modicum passus immarcessibilem illic coronam accepturus sis. Patientia enim opus habet perfectum.

Pun-

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergò, ô Religiose! vituperia hominum contemnis; quia vana sunt? Capillus de capite vestro non peribit. An vituperia hominum contemnis; quia seipsos lædunt? Memoria impiorum peribit. An vituperia hominum contemnis; quia hoc gloriosum est? Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Dole, quod hucusque tam ægrè vituperia hominum tuleris. Propone eadem ex corde contemnere;

1. Quia vana sunt;
2. Quia vituperantem lædunt;
3. Quia illa pati gloriosum est.



## DIES XXX.

## IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

### Recollectio Menstrua.

Securi de spe retributionis divinæ subsequuntur gaudentes, & dicentes: sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Cap. 7. v. 43. & 44.

## PUNCTUM PRIMUM.

COnsidera gloriosum Apostolum S. Andream, quô desideriô, & gaudiô ad mortem crucis anhelet: O bona Crux, diu desidera-

ta,

ta, & jam concupiſcenti animo præparata, ſecurus, & gaudens venio ad te,ita & tu exultans ſuſcipias me diſcipulum ejus, qui pependit in te! unde illi tantum deſiderium mortis,& quidem mortis crucis? A tempore, quo Chriſtum ſecutus eſt,nil potius cordi habebat,quàm abnegare ſemetipſum,& crucem ſuam tollere. Sciebat, quod perfectionem divini amoris nemo obtineret; niſi priùs hoc fundamentum poſuiſſet. Secutus eſt hujus primi Apoſtoli exemplum Ss. Pater tuus in Sublaco. Scis, quomodo ſe ibi abnegaverit? Scis,qualiter corpus ſuum cruentaverít? Non mirum,quod & tantum amaverit. Sequere ambos ſanctos. Sequere doctrinam Ss.Patris: *Securi de ſpe retributionis divinæ ſubſequuntur gaudentes, & dicentes: ſed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.* Et utrùm jam verum fundamentum perfectionis Religioſæ jeceris, examina, an amorem Dei perfectè,& quotidiè ſæpè exerceas? Inquietum erit cor tuum; donec requieſcat in eo bono,ad quod creatum eſt. An ſperas in Domino? Væ his, qui perdiderunt ſuſtinentiam. Ex his facile colliges, an non aliquando inimici tui tibi illuſuri ſint; quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare?

## PUNCTUM SECUNDUM.

CONſidera 2., quod S. Andreas tam gaudenter ad crucem properet, atque præ-

ſentem

ſentem vitam contemnat, in cauſa eſſe; quia propter Deum omnia reliquit ab initio converſionis ſuæ, atque vocantem Dominum in omnibus ſpe cœleſtis vitæ ſecutus eſt. Sequeris & tu illum, ac doctrinam ſanctiſſimi Patris tui; *ſecuri de ſpe retributionis divinæ ſubſequuntur gaudentes, & dicentes: ſed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos*, perfectè adimplebis, ſi relictis omnibus vocationi tuæ ſatisfeceris. Examina igitur, an grata tibi ſit Monaſterii tui paupertas? Beati pauperes ſpiritu; quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. An media conſervandi caſtitatem adhibeas, in iisdemque ſæpè te exerceas? Mitte ſervum in operationem, ne vacet. An ſecundùm triplicem Religioſorum ſtatum proficias? Non proficere, deficere eſt. An in communibus potiùs, quàm in ſingularibus perfectionem tuam quæras? Beati mundo corde. An non miſer ſis; quia à vocatione tuâ deficis? Qui retroſpicit, non eſt aptus Regnò Dei. An crebrò vota tua renoves? Vota mea Domino reddam. An veram, an falſam religionem habeas? Ne acceſſeris ad Deum duplici corde. An non in cauſa ſis, ut abuſus contra Regulam invaleſcant, qui pro ordine teneantur? Væ illi, per quem ſcandalum venit? An doleas à Religioſæ vitæ deliciis abſtrahi? Guſtate, & videte; quoniam ſuavis eſt Dominus. An ſæpè conſideres ſublimem Religioſorum ſtatum, & periculoſam eorum ruinam? Aut

Angeli, aut Dæmones ſunt. O qui pœnas æternas præſentes conſideraret, quàm exactè cum S. Andrea omnia relinqueret, & vocationi ſuæ ſatisfaceret!

## PUNCTUM TERTIUM.

CONſidera tertiò; quòd S. Andreas populum roget, ne à cruce deponatur, ſed in eâ mori poſſet, ideò fieri; quia ex amore proximi omnia adverſa, cunctos labores in peragratione Scythiæ, Epiri, Thraciæ, Achajæ, prædicando Evangelium antea ſuſtinuit. Voluit enim Crucifixum omnibus non ſolùm verbô, ſed & exemplô ſuô amabilem reddere. Et tu libenter adverſa tolerares, ſi te amore proximi abnegares propter Crucifixum; illum verè in omnibus amares, ſi impleres illud Ss. Patris tui: *Securi de ſpe retributionis divinæ ſubſequuntur gaudentes & dicentes; ſed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.* Examina ergò te, an mortifices te, ne aliis S. Ordinibus obtrectes? Omnes in Chriſto unum ſumus. An mortifices te, ne ſæculares per nimiam familiaritatem ſcandalizes? Fugite mundum, & quæ in mundo ſunt. An libenter adverſa toleres, ut vivis, atque defunctis efficacius ſuccurras? Beati miſericordes; quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. An cum gaudio amore proximi, & à proximo patiaris, ut charitatem proximi ſemper exerceas? Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam

ponat

ponat quis pro amicis ſuis. O qui immenſam charitatis proximi dulcedinem guſtaſſet, quàm libenter pro ejus ædificatione cum S. Andrea moreretur!

## PUNCTUM QUARTUM.

COnſidera quartò, quod S. Andreas biduo cum Chriſto paſſus, cum Chriſto in cruce mortuus, demum in maximo ſplendore animam efflaverit. Unde illi iſta gratia? Ad Chriſti exemplum vixit, ad Chriſti exemplum mortuus fuit. Et tu juxta promiſſum Ss. Patris in morte felici illum *ſubſequeris ſecurus de ſpe retributionis divinæ*, dummodo te per vitam *in omnibus ſuperes propter eum, qui dilexit nos.* Examina igitur temetipſum, an te abneges, ut patiens, & humilis fias? Diſcite à me; quia mitis ſum, & humilis corde. An te abneges, ut contemnas laudes, & vituperia hominum? Gratiâ Dei id ſum, quod ſum. An mediis proportionatis amorem proprium eradices, ut ſapientiam acquiras? Ordinavit in me Charitatem. Dole igitur, quod hoc rurſus menſe obligationibus ſtatus tui non ſatisfeceris. Saltem hodie aliquibus mortificationibus defectum ſupplere, & in ſequenti magis proficere propone. Ut poſſis, implora Patrocinium S. Andreæ Apoſtoli; quatenus crucem tuam in S. Religione usque ad mortem conſtanter ferre, atque in ea cum ipſo mori valeas.

# DECEMBER.

## DIES I.

## Cur omni hora vita æterna conſide- randa ſit.

Vitam æternam animo ſuo ſemper revolvat. Cap. 7. v. 10.

## PUNCTUM PRIMUM.

SAnctiſſimus Pater noſter intendit quidem, ut *vitam æternam animo noſtro ſemper revolvamus:* ſed ſatisfaciemus menti Ss.Patris, dummodo omni hora ad exemplum illius ſancti Senis, de quo narrant vitæ Patrum, quod omni hora ſe ad tolerantiam laborum, ad patientiam, & profectum exſtimularit, & nos gloriam cœleſtem recogitemus. Quis enim omni hora *vitam æternam animo ſuo revolvat*, & non libenter pro cœlo labores nunc ac hora in S. Lectione, nunc illa in oratione, nunc alia in ſtudio cum ingenti fervore ſine remiſſione perferat? Nonne tunc amplius non laborabimus, ſed perpetuo requieſcemus, quando pro modico hujus temporis labore replebit nos Dominus jucunditate cum facie ſua. Hæc enim erit æterna requies, & beatitudo noſtra; cùm meruerimus eum facie ad faciem videre. Optime iſtud intellexit Philippus; quando ait: Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.

Suffi-

Sufficit equidem illa jucunditas, faciem Domini videre, neque aliud ampliùs requiritur: quia nec erit, quid ampliùs requiratur, cùm visus fuerit ille, qui est super omnia. Hæc cogita omni hora, & libens, ac fervens eris omni hora in opere tuo.

## PUNCTUM SECUNDUM.

*Vitam æternam animo suo semper revolvat.* Quis enim omni hora hanc cogitet, quin non cum gaudio tentationes in anima, morbos in corpore, afflictiones ab adversariis, adversitates hujus mundi omnes sustineat? Nónne pro momentaneo hoc & levi tribulationis momento æternum gloriæ pondus retribuitur? Tantam siquidem omnis gaudii, omnis delectationis, omniumque bonorum abundantiam hoc gloriæ pondus continet, ut si vel minimum momentum de eo ad instans solum nobis gustari daretur; tamen omnia mala usque ad finem mundi pro illo pati deberemus. Quæ, & quanta igitur, & quidem cum gaudio nos pati convenit; cùm nōn sit quid temporaneum, sed interminabile, cujus gaudia nullo fine clauduntur, nullisque amaritudinibus perturbantur? Hæc cogita omni hora & nullis adversis frangeris. Etenim & nos oportet pati, si volumus cum Christo intrare in gloriam.

## PUNCTUM TERTIUM.

*Vitam æternam animo suo semper revolvat.* Quis enim hanc omni hora cogitet, ut non

ad plures, & intensiores actus virtutum excitetur? Nonne in domo Patris mansiones multæ sunt; sed una altera sublimior est? Quò quis amplius in Evangelica perfectione proficit, eò augustiorem locum in cœlis obtinebit. Ibi non est acceptio personarum; sed respectus meritorum. Istam Prœmiorum varietatem cogita, & sine intermissione curres in stadio virtutum, ut bravium consequaris. O quam beatus eris, si cùm tanta reproborum multitudo repellitur, tu ad nuptiale convivium ingredi poteris! O quantum gaudebis, quòd vitæ fontem & sitiens semper haurire, & hauriens sitire possis; quia ibi non valet tibi, vel aviditas passionem gignere, vel satietas fastidium! O quantum lætaberis, quòd semper magis in Deum profeceris! etenim licet & minimus sanctorum perfecte beatus sit, tamen pro meritorum qualitate majorem, aut minorem beatitudinem obtinent.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religiose! omni hora cogitas vitam æternam, ut semper ferventius pro cœlo labores! Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, præparavit Deus his, qui diligunt eum. An omni hora cogitas vitam æternam, ut patienter feras adversa? Non sunt condignæ passiones ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. An omni hora cogitas vitam æter-

æternam, ut in virtutibus magis proficias? Stella enim à ſtella differt. Dole, quòd tam raro ad profectum animæ tuæ Beatitudinem tuam recogites. Propone omni hora eandem cogitare,

1. Ut ferventius labores,
2. Ut libentius patiaris,
3. Ut frequentius virtutes S. Regulæ exerceas.



## DIES II.]

### De neceſſitate, utilitate, & deſiderio correptionum.

Correptioni Regulari ſubjaceat. Cap. 48. v. 18.

### PUNCTUM PRIMUM.

SÆpe legimus in dialogo S. Gregorii, quòd Ss. Pater correptionem peccantibus fratribus adhibuerit. Sic Monachos extra Cœnobium comedentes corripuit; alios accipientes mappulas ſine licentia redarguit; vagum illum in oratione virga caſtigavit. Sæpius adhuc correptionem ſuadentem, & imponentem legimus Ss. Patrem in Regula: *Correptioni Regulari ſubjaceat.* Neceſſaria eſt enim Religioſis correptio. Ubi conventui frequens fraterni zeli correptio deeſt, Iſraeliticæ plebis myſtica laborat inopia, quæ fabrum ferrarium non habebat. Sicut namque

que ferrum reliqua metalla fortiter edomat; ita correptionis malleus vitia delinquentium reprimit, & quasi cudendo rigidæ mentis duritiam frangit. Et sicut Philistæi caverant, ne forte facerent Hebræi gladium, aut lanceam; ita maligni Spiritus falsæ pietatis obtentu, zelum correptionis, gladium Spiritûs auferre de fratrum labiis satagunt. Sic fit, ut verbum Dei cesset audiri, sacra exercitia desinant frequentari, disciplinæ vigor enervetur, & religio tota destruatur. Nam dum unusquisque proprium sequitur arbitrium, nec illum districta Magisterii disciplina reprimit, necessario spiritualis observantiæ violat institutum. Unde quisquis est, cui Regularis vitæ fervor inæstuat, correptiones libenter amplectatur, & tunc etiam, cum innocens est, suis reprehensionibus delectetur. Non ut eum conscientia peccâsse remordeat; sed quoniam hoc prodesse cœteris audientibus sperat: ut unde ipse innocens, & mundus arguitur, alii vel lapsi, vel lapsuri forte corrigantur.

## PUNCTUM SECUNDUM.

*Correptioni Regulari subjaceat.* Utilis est enim correptio. Ad hoc namque homo de sæculo magisterio disciplinæ regularis submittitur ut rubiginem, quam de mundo lenocinante contraxerat, asperæ correptionis lima detergat. Unde Spiritus sanctus hortatur in Proverbiis: convertimini ad correptio-

tionem meam, en proferam vobis Spiritum meum. Non dicit: ad blanditias meas; sed convertimini ad correptionem meam. Etenim quibusdam corripi dedignantibus ait: mane consurgent, & non invenient me; eo quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo, & detraxerint universæ correptioni meæ. Hinc admonet, dicens: Disciplinam Domini, fili mi! ne abjicias: nec deficias, cùm ab ipso corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit: & quasi Pater in filio complacet sibi. Jure scilicet non hominis, sed Domini correptio dicitur, cùm in amore Christi à proximo in proximum quælibet severitas derivatur, ut à malo declinet, & faciat Bonum. Tu tantas utilitates correptionis ne neglexeris. Eam diligenter adhibe, & libenter accipe.

## PUNCTUM TERTIUM.

C*Orreptioni Regulari subjaceat.* Desiderabilis enim est correptio. Sapiens quippe austeritatis illatæ duritiam animæ suæ vulneribus deputat medicinam. Unde scriptum est: si corripueris sapientem, intelliget disciplinam. Et iterum: Plus proficit correptio apud prudentem, quàm plaga apud stultum. Porro sicut æger, qui non capit antidotum, moritur, ita, qui non potest corripi, nequit ab animæ suæ languoribus relevari. Unde rursus per Salomonem dici-

tur: noli ſubtrahere à puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur: tu virga percutis eum, & animam ejus liberabis de inferno. Vis audire, quid illis immineat, qui reſpuunt corripi? Qui dedignatur à Senioribus objurgari! Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus, & eum ſanitas non ſequetur. Nonne correptio deſiderabilis eſt?


## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religioſe! neceſſitatem correptionis regularis agnoſcis? Ecce! ego creavi fabrum ſufflantem in igne prunam, & proferentem vas in opus ſuum. An utilitatem correptionis regularis perpendis? Melior eſt manifeſta correptio, quàm amor abſconditus. An deſiderium habes correptionem regularem diligenter adhibendi, & libenter accipiendi? Qui diligit diſciplinam, diligit ſapientiam; qui autem odit increpationes, inſipiens eſt. Dole, quòd & tu hucusque è numero horum inſipientium fueris. Propone ideo crebro

1. Neceſſitatem correptionis regularis agnoſcere,

2. Utilitatem ejusdem perpendere, atque

3. Diligere, & deſiderare eandem, ut eam & diligenter adhibeas, & libenter ſuſcipias.



## DIES III.

### Quòd, qui vota non perficit, aut violat, Deum videtur irridere.

Si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat, quem irridet. Cap. 58. v. 20.

## PUNCTUM PRIMUM.

Quàm grave peccatum sit eorum, qui vota non perficiunt, violant, aut fidem suæ professionis frangunt, Ss. Pater noster hisce testatur: *Si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat, quem irridet.* Irridet enim Deum, qui vota sua non perficit. Obtulisti temetipsum Deo, & factus refuga subtraxisti? Deum puerum & te facis ovum. Nam dum te ipsi prius oblatum conaris quasi ludendo subducere, videris eum velle velut puerum obgannire. Nolite errare, Deus non irridetur: quæ enim homo seminaverit, hæc & metet. Deludis Auctorem, offendis mendacio veritatem. Porro cum Deus sit procul dubio veritas, nullo magis offenditur vitio, quàm mendacio. Spopondisti, & sponsionem non perficere non metuis? Vovisti, & votum, ut reddas, tardare non times? Audi Psalmistam: vovete, & reddite. Audi Moysen: cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuuus.

Pun-

## PUNCTUM SECUNDUM.

*SI aliquando aliter fecerit, à Deo se damnandum sciat, quem irridet.* Irridet enim Deum, qui vota sua violat. Apud homines jubetur promissum servari; quanto magis apud Deum? Homo itaque non amittit, quod semel accepit: Deus autem possessionis suæ jure fraudabitur? Terrenæ militiæ duces eos sibi, qui militiam professi sunt, vindicant: nos in divini procinctûs arma juramus, caracterem nobis militiæ cœlestis imprimimus, & notam nobis inurere transfugii non timemus? Nunquid non irridemus Deum, ac si ipse infirmior esset, quàm homo, quàm Dux militiæ, qui perfidos, & infidos vindicare non posset? Dedisti, ô Frater! Deo non aurum, non equum, non denique alienum, quod extra te, sed temetipsum per vota tua; quam ergo mercedem vice tui Domino permutabis? Quam enim commutationem dabit homo pro anima sua? Ergo convertere ad Dominum, & relinque peccata tua; precare 'ante faciem Dei, & minue offendicula; renova, & redde vota tua Altissimo: nam observabis, & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es.

## PUNCTUM TERTIUM.

*SI aliquando aliter fecerit, à Deo se damnandum sciat, quem irridet.* Deum quippe irridet, qui fidem illi datam frangit. Nonne

ne enim Deum irridet, qui dupliciter Deo ſpondet. Spondet ore, ſed opere, quod ſpoponderat, ſubtrahit. At cogita illud Proverbiorum; Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam: illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus tuis. Etenim ſi manum ſuam apud extraneum ille defigit, & reddendæ pro eo rationi ſeſe obnoxium facit, qui pro amico ſpoponderit: quanto magis tu ratiocinium Deo debes, qui non pro alieno, vel extraneo ſpopondiſti, ſed temetipſum Deo ſpecialiter obtuliſti? Cœpiſti quidem divini amoris igne ferveſcere, cum te decreviſti cœleſtis militiæ obſequio mancipare: ardere ſcilicet per Spiritum cœpiſti; ſed per degenerem carnis ignaviam totus intepuiſti. Coram hominibus ſtare conſpiceris, ſed in conſpectu Domini cecidiſti. Revertere igitur ad Deum tuum. Deprecare pro violata fide. De novo ſponde, ut non amplius reminiſcatur iniquitatum tuarum.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religioſe! Deum non irrides non perficiendo vota tua? Si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. An Deum non irrides violando vota tua? Initium ſuperbiæ hominis, apoſtatare à Deo. An Deum non irrides frangendo fidem datam? Non faciet irritum verbum ſuum; ſed omne, quod promiſit, implebit. Dole,

quòd

quòd & tu vota ſaltem non perficiendo ſæpe Deum irriſeris. Propone

1. Vota perficere,
2. Vota non violare,
3. Fidem datam integram cuſtodire.

## DIES IV.

## De Laude lachrymarum.

Mala ſua præterita cum lachrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. Cap. 4. Inſtr. 58.

### PUNCTUM PRIMUM.

SAnctiſſimus Pater noſter merito nobis lachrymas recommendat, dicens; *mala ſua præterita cum lachrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri.* Nihil enim efficacius eſt lachrymis. Mador quippe lachrymarum animam omni labe purificat, & ad proferenda virtutum germina noſtri cordis arva fœcundat. Sæpe namque miſerabilis anima velut ſub pruinali glacie comas, & foliorum ornamenta deponit: & recedente gratia ipſa ſibimet derelicta, tota remanet arida, & quaſi decidentium florum videtur decore nudata. Sed mox ut lachrymæ ex munere intimi Inſpectoris eruperint, protinus hæc eadem anima revireſcit, torporis ignavi frigore ſolvitur: & tamquam arbor

verna Auſtri fomite recaleſcens, redivivo virtutum ſuarum flore veſtitur. Dum igitur totus areſcis, multisque imperfectionibus ſcates, ac gratia ſenſibili deſtitueris; anhela ad lachrymas, lachrymas quotidianis precibus à Deo flagita, & cum lachrymis ab omni nævo mundaberis.

## PUNCTUM SECUNDUM.

M*Ala ſua præterita cum lachrymis, vel gemitu cordis quotidie in oratione Deo confiteri.* Nihil equidem efficacius lachrymis; quia gratiam impetrant. Ipſæ porro divinæ exauditionis tribunal fiducialiter adeunt: & impetrantes præſto, quod petunt, de peccatorum noſtrorum certa remiſſione confidunt. Lachrymæ ſunt in fœderanda inter Deum, & homines pace ſequeſtres; & veraces ſunt, atque doctiſſimæ in qualibet humanæ ignorantiæ dubietate magiſtræ. Nam dubitantes ex aliquo, utrum Deo placeat nec ne, nunquam melius certitudinem à Deo accipimus, quàm cùm veraciter lachrymantes oramus. Ecce! quomodo lachrymæ diluant omne ſpurcitiarum in meretrice contagium, & immundis manibus tribuant, ut non ſolum pedum, ſed & Dominici Capitis mereantur attactum. Lachrymare ergo, & gratiam invenies in conſpectu Domini.

## PUNCTUM TERTIUM.

M*Ala ſua præterita cum lachrymis, vel gemitu cordis quotidie in oratione Deo con-*

*confiteri.* Nihil namque efficacius eſt lachrymis ; quia dum per oculos carnis erumpunt, ad ſpem nos ſupernæ beatitudinis erigunt. Non enim poſſunt in ſua petitione contemni, quæ & magnas voces habent in auribus Creatoris. Has voces ille frequenter ad Deum emiſerat, & quid ad obtinendum poſſent, ſubtiliter noverat, qui dicebat : exaudi orationem meam Domine ! & deprecationem meam ; auribus percipe lachrymas meas. Qui enim non oculis attendi, ſed auribus percipi lachrymas poſtulat, voces lachrymis ineſſe manifeſte deſignat. Lachrymæ nempe, cùm in conſpectu pii Judicis ſupplicant, nihil hæſitant ; ſed ſic miſericordiam, tanquam rem quamlibet proprii juris ſibimet vendicant : & impetrâſſe ſe, quod petierant, confidenter exultant. O lachrymæ deliciæ ſpirituales, ſuper mel videlicet, & favum, atque omni nectare dulciores ! fluite inceſſanter ex oculis noſtris, ut ſpem Beatitudinis nobis faciatis.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religioſe ! lachrymaris ad purificandam animam ? Petrus cœpit flere amarè. An lachrymaris ad gratiam impetrandam ? Magdalena cum lachrymis cœpit rigare pedes JEſu. An lachrymaris ad obtinendam ſpem Beatitudinis ? Paulus Domino ſerviebat cum omni humilitate, & lachrymis. Dole, quòd hucuſque tam parum

pro

pro lachrymarum gratia oraveris. Propone deinceps ferventer eam à Domino poſtulare

1. Ad purificandam animam,
2. Ad impetrandam gratiam,
3. Ad obtinendam ſpem beatitudinis.

## DIES V.

### Quæ mala infelix anima Monachi patiatur, cùm ad inferiora revertitur.

Nobis deſidioſis & male viventibus, atque negligentibus rubor confuſionis eſt. Cap. 37. v. 8.

## PUNCTUM PRIMUM.

Quanta mala Monachus incurrat, cùm terrenas, & mundanas conſolatiunculas appetit, Ss. Pater paucis, ſed gravibus verbis deſcribit: *Nobis deſidioſis & male viventibus, atque negligentibus rubor confuſionis eſt.* Prô! qualis rubor confuſionis nobis deſidioſis non eſt? Dum enim mundana, & terrena ſolatia quærimus, ecce! quaſi quædam conglobata turba omnium, quæ vidimus, vel audivimus, nos rurſus comitatur, ut tumultuantium deſideriorum ſtrepitum importune patiamur. Si enim mens noſtra orationi vacare enixius cœperit, ecce phantasmata cogitationum, ecce imagines, quas viderat, rerum! Et quidem homo renititur,

& quaſi circumvolantes muſcas abigere à ſuæ mentis ore conatur. At illæ mox ut abſcedunt, redeunt; illico ut repelluntur, aſſiſtunt, & quaſi fugitivum ſuum perſequentes capere, & in propriæ ſervitutis moliantur exercitia revocare. Tunc infelix anima diſcit, quanti ſibi conſtiterit quòd ad terrena, & mundana ſe applicaverit. Tu ergo noli per deſidiam ad iſta declinare, ferventer inſiſte propoſito tuo. Relinque hunc miſerum mundum, ejusque oblectamenta, ne amplius tam turpiter tibi illudat.

## PUNCTUM SECUNDUM.

N*Obis male viventibus rubor confuſionis eſt.* Etenim dum vocationi noſtræ non pro virili intendimus, male vivimus, & ſenſualitati nos dedimus, prô! qualiter confundimur? Tabeſcit ſiquidem anima noſtra ſicca, obſcura, lapidea. In modum namque lapidis obdurata, nec in lachrymarum fluenta prorumpere, nec lumen poteſt tenebris undique circumfuſa videre. Pſalmorum quidem myſteriis, meditationi, S. Lectioni intendere nititur; ſed tanquam lippientibus oculis intolerabili lumine reverberatur. Anhelat virtute, qua poteſt, ad ſumma contendere; ſed quodam ſuo pondere prægravata in imis cogitur humiliata jacere. Cui Propheticum illud non inconvenienter aptatur: in tenebroſis collocavit me, quaſi mortuos ſempiternos; circum ædificavit adverſum

ſum me, ut non egrediar, aggravavit compedem meum; ſed & cùm clamavero, & rogavero, excludet orationem meam. Mœret, anxiatur, anhelat, & quia nec ipſam hanc ejus miſeriam ſibi flere permittitur, acriori doloris amaritudine repleta turbatur. Tu igitur mortifica ſenſus tuos, ne in hanc miſeriam incidas, aut ab ea quantocius libereris.

## PUNCTUM TERTIUM.

N*Obis negligentibus rubor confuſionis eſt.* Equidem cùm infideles ſumus, minima negligimus, aut nimio ardore etiam ad exercitia indifferentia, utpote ſtudia &c. incumbimus, devotionem paulatim amittimus, & prô! qualis tunc confuſio in anima? Fit enim menti miſeræ tam tenebroſa confuſio, ut lucem, qua prius gaudebat, nullatenus reperire poſſit. Quocunque ſe verterit, nullam conſolationem ſentit. Quæcunque ſpiritualia exercitia perſolvat, non niſi ariditatem mentis reportat. Tædet proinde, quidquid ſpirituale eſt. Amarum eſt, quidquid ſpiritui antea ſuper mel, & favum erat. Hæc autem in humana mente calamitas, eſt pœna peccati. Juſtum quippe eſt, ut quod quis per negligentiam volens admiſit, patiatur invitus. Tu ergo devotionem cordis omnibus aliis præpone, nihil neglige, fidelis eſto; & ſemper ambulabis in magno lumine cum Deo tuo.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religiose! mundana oblectamenta respuis, ne obscuritatem animæ incurras? Et lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. An sensualitatem mortificas, ne consolationem internam amittas? Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquam; quia longe factus est à me consolator, convertens animam meam. An fidelis ès in minimis vocationis tuæ, & devotionem cordis ante omnia conservas, ne calamitatem internam sentire debeas? Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Dole, quòd hucusque annos tuos in mera calamitate interna sine sapore Spiritûs transegeris. Propone tandem in luce miserationum Domini respirare, & ideo

1. Mundana oblectamenta respuere;
2. Sensualitatem tuam mortificare;
3. Fidelis esse in minimis Vocationis tuæ, ac devotionem cordis præ omnibus conservare.



## DIES VI.

### Quomodo Monachus per paupertatem ad veras divitias pervenire possit.

Omni vilitate, & extremitate contentus sit Monachus. Cap. 7. v. 61.

Pun-

## PUNCTUM PRIMUM.

NOn ſine magno præmio Ss. Pater noſter vult, ut *omni vilitate, & extremitate contentus ſit Monachus.* Qui enim veras divitias appetit, facillime extremam paupertatem amplectitur. In hac enim una omnium dives erit, nec eorum, quæ ſibi fuerint neceſſaria, copia poterit indigere. In hac poſſidebit aurum Divinæ ſapientiæ, argentum ædificatricis eloquentiæ. In hac diverſa pallia decoræ, & honeſtæ converſationis, bis tinctum videlicet coccum geminæ charitatis, colobium nitidæ caſtitatis. In hac byſſum patientiæ, flammeum birotinum divini timoris, purpuram regiæ dignitatis. Quisquis enim ſibi ita dominatur, ut omnem concupiſcentiam terrenæ ſubſtantiæ mortificare feſtinet, merito ſpiritualis purpuræ decore veſtitur. In hac habebit dirupiſticum virentis ſemper ſpei, annulum fidei, armillas perfecti in activa vita operis, dextralia etiam ſpeculativæ contemplationis. Quis igitur non omnem affectum ad terrenas divitias libenter abjiciat, omni vilitate contentus ſit, ut veras virtutum divitias adipiſcatur?

## PUNCTUM SECUNDUM.

O*Mni vilitate, & extremitate contentus ſit Monachus.* Facile neceſſariis vitæ contentus erit, qui bona cœleſtia pauperibus Spiritu promiſſa ambit. Nam in illa ve-

ræ beatitudinis vita quanta tibi, & quàm potiora dabuntur, non eſt, fateor, noſtrarum virium diſputare, non eſt noſtræ facultatis evolvere. Hoc tantum ad compendioſum inexplicabilis negotii exitum referre ſufficiat; quia hoc accepturi ſunt, qui omnia perfecte reliquerunt: quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe. Ecce! quot, & quantos ſanctos ſpes harum cœleſtium divitiarum ad extremam mundi paupertatem redegit? Cogita Paulum; primum Eremitam pane & aqua contentus eſt. Cogita Arſenium, qui ex Aulico Imperatoris factus eſt tam pauper, & inops, ut non niſi ultimam neceſſitatem in victu, & amictu admittat. Cogita Ss. Patrem tuum; omnes, & ampliſſimas mundi poſſeſſiones relinquit, quibus tamen libere uti potuiſſet, & omni extremitate in Sublacenſi ſpecu contentus eſt. Deſidera & tu bona cœleſtia, & libenter eos ſequêris.

## PUNCTUM TERTIUM.

*Omni vilitate, & extremitate contentus ſit Monachus.* Nullam ſolicitudinem pro terrenis habebit, qui pro ſuo theſauro & hic, & ibi deſiderat poſſidere Chriſtum. Ipſe enim nobis factus eſt Redemptor, & pretium, ipſe promiſſor, & præmium, qui eſt vita hominum, & perennitas Angelorum. Hunc ſi in exedra tui pectoris diligenti cura recon-

recondideris, in illum quoque omnem cujuscunque necessitatis solicitudinem projicies. Et dum in ipso per assiduæ orationis colloquium delectaris, atque te vigilibus sanctarum cogitationum epulis reficis, ipse tibi cibus est, & indumentum. Quod si nihilominus cujusdam commodi exterioris indigeas, nihil hæsites, nihil de ejus fida promissione diffidas, qua pollicetur, dicens: Primum quærite Regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis. Qui enim sitientibus Israëliticæ plebis agminibus ex illo aridæ metallo rupis uberes aquarum rivos jussit affluere, quique esurientibus cælestæ manna per annosa temporum potuit spatia ministrare; uni homuncioni suis jugiter obsequiis insistenti non poterit necessaria providere? Nos certe minimæ fidei, compellimus Christum esse tenacem. Nempe pusillanimorum diffidentia facit pauperem Christum; at plena fides divitem illum, & largum experitur in exhibendis muneribus. Satage tantum in his te exercere, quæ jussit; & nulla prorsus ex his maneat dubietas, quæ promisit. Sis securus exactor, ubi ad reddendum promptus est debitor. Sine causa diffiditur, ubi ille promissor est, qui nunquam mentitur. securus creditor graditur, cùm simplex veritas promissione tenetur.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religiose! affectum ad terrenam substantiam abjicis, ut veras divi-

tias, virtutes acquiras ¿ plane dives fuit pauper ille Lazarus, qui poſt mortem ſuam meruit in ſinu Abrahæ requieſcere. An neceſſariis contentaris, ut veras divitias cæleſtia bona obtineas? Beati pauperes Spiritu; quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum. An nullam ſolicitudinem alicujus terrenæ ſubſtantiæ geris, ut veras divitias Chriſtum poſſideas? Ecce! hic eſt Filius meus, in quo complacuit ſibi anima mea. Dole, quòd paupertatis divitias non agnoveris. Propone ad earum obtentum

1. Affectum ad terrenam ſubſtantiam eradicare,
2. Neceſſariis contentari,
3. Nullam ſolicitudinem pro victu, aut amictu gerere.



## DIES VII.

### De Amore Cellæ, & S. Solitudinis.

Solus ſit. Cap. 25. v. 3.

## PUNCTUM PRIMUM.

Quantum Ss. Pater Solitudinem amaverit, patet ex eo, quòd in tenera ætate ad eam ſe contulerit, diu in ea manſerit, atque cellam ſuam diligentiſſime incoluerit. Ecce enim Riggo, Totila eum in cella offendunt, nec voluit Ss. Pater ad deſignationem ædifi-

can-

candi novi Monasterii cellam relinquere, sed in somno Præposito apparuit, atque singula loca designavit. Unde & nobis summopere cellæ, ac solitudinis amorem commendat; dum ait: *solus sit*. Et quis cellam non amet? Cella enim est spiritualis exercitii mirabilis officina, in qua certe humana anima Creatoris sui in se restaurat imaginem, & ad suæ redit originis puritatem. Ibi sensus obtusi ad subtilitatem sui acuminis redeunt, & vitiatæ naturæ azyma sincere reparantur. Ipsa dat, ut jejuniis videantur ora palentia, & mens divinæ gratiæ sit pinguedine saginata. Ipsa dat, ut homo mundo corde conspiciat Deum, qui suis involutus tenebris seipsum ignorabat. Ipsa hominem facit ad suum redire principium, & de exilii ejectione ad antiquæ dignitatis revocat celsitudinem. Ipsa facit, ut homo in mentis arce constitutus cuncta sub se videat terrena defluere, semetipsum quoque in ipsarum rerum labentium prospiciat decursione transire.

## PUNCTUM SECUNDUM.

S*Olus sit*. Quis cellam non amet? Cella est sacræ militiæ tabernaculum, procinctus triumphatoris exercitûs, castra Dei, turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium. Cella est campus divini prælii, spiritualis arena certaminis, Angelorum spectaculum: ubi Spiritus cum car-

ne congreditur, & fortis ab infirmitate non ſuperatur. Fremat hoſtium circumfuſa barbaries; qui in cella ſunt, lorica fidei præmuniti ſub Imperatoris ſui invicta protectione tripudiant, & de hoſtium ſuorum dejectione jam certi triumphant. Quibus nimirum dicitur: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Vel ſi unus eſt: Noli timere: plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis. O ſolitudo mors vitiorum, & vita virtutum! in te agnoſcuntur vitia, & vitiorum remedia, in te virtutes unice practicantur.

## PUNCTUM TERTIUM.

S*Olus ſit*. Quis cellam non amet? Cœleſtis doctrinæ ſchola eſt, ac divinarum artium diſciplina. Illic enim Deus eſt totum, quod dicitur; via, qua tenditur, per quam ad ſummæ veritatis notitiam pervenitur. Illic agnoſcuntur Divinitatis myſteria, quæ non licet homini loqui. Illic veritatem Evangelicam penitus comprehendimus. Illic & totius vitæ, & mortis Chriſti notitiam obtinemus, & quidem non tantum eorum, quæ exterius geſſit, ſed & quæ intus in anima egit. Nemo vero ad tam ſublimem veritatis agnitionem pervenit, niſi ſolitudinem amet. Nonne Moyſes in ſolitudine cum Deo loquitur, & Divinæ veritatis oracula percipit? Nonne Elias in ſolitudine cognoſcit pertranſeuntem Dominum? Nonne Eliſeus duplicem Magiſtri ſui ſortitur Spiritum in ſoli-

tudi-

tudine? Nonne & Ss. Pater noſter Creatorem primùm vidit, quando ſolus in turri illâ vigilabat & orabat?

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religioſe! cellam amas ad reſtaurandam imaginem Dei in animâ tuâ? Solitudinem amare debet, quisquis Deo vivere cupit. S. Thom. An cellam amas ad ſuperandos hoſtes tuos? Solitudo eſt præſidium cedere neſcientium propugnatorum. S. Petr. Dam. An cellam amas ad cognoſcendas æternas Veritates? Remotione continuâ illuminatur anima. Id. Dole, quod hucusque cellam ita abhorrueris. Propone eam amare

1. Ad reſtaurandam imaginem animæ tuæ,
2. Ad ſuperandos hoſtes tuos,
2. Ad agnoſcendam veritatem.



## DIES VIII.

## FESTIVITAS B. V. MARIÆ SINE LABE CONCEPTÆ.

### De Felicitate B. V. ſine labe conceptæ, & animæ à concupiſcentiis purgatæ.

Poſt concupiſcentias tuas non eas. Cap. 7. v. 25.

Pun-

## PUNCTUM PRIMUM.

O Immensam Divinæ Bonitatis largitatem erga Beatissimam Virginem Mariam! Gratiâ eam dotavit præveniente, quæ eam à peccato originali penitùs exemit, ut anima ejus non priùs corpus animaverit, quàm charitas cor ejus repleverit. Hâc prærogativâ inter omnes puros homines sola eminuit; quia Mater Dei fieri debuit. Tantâ enim puritate eam nitere decuit; quâ major infra Deum cogitari non posset. O quanta est ista felicitas B. Virginis! ut hanc cognoscas, cogita fomitem peccati originalis, quot mala, & peccata post se trahat. Vix enim concepti sumus, jam cum Prophetâ ingemiscere debemus: ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Et licèt sacro Baptismate regeneremur, tamen remanet fomes peccati, unde semper ad malum exstimulamur. Nisi semper spiritus cum carne congrediatur, eamque rationi subjiciat, de uno ad aliud peccatum impellimur. Quàm felix autem est & anima, quæ ad mentem sanctissimi Patris *post concupiscentias suas non it?* Saltem à peccato actuali custoditur.

## PUNCTUM SECUNDUM.

BEatissima Virgo non solùm à peccato originali exempta est à Filio; sed etiam tanta ei gratia collata est, ut omnem Angelorum,

rum, & hominum charitatem transcenderit. Fundamenta quippe ejus in montibus sanctis; diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. In vertice sanctitatis Angelicæ, & humanæ fundata est sanctitas Mariæ. Et plùs Deus dilexit initium sanctitatis illius, quàm consummationem perfectionis aliorum. Et ô quàm integrè huic gratiæ correspondebat? Quàm perfectè ejus instinctum secuta est? Nullum impedimentum sensit à fomite peccati originalis. Quid enim nos magìs impedit,quàm concupiscentia, ne divinæ gratiæ obtemperemus? Ipsa mentem obscurat, ne eam agnoscat. Voluntatem debilitat,ne eam sequatur. Quàm felix autem est anima, quæ adhortationi Ss. Patris obaudit, ut *post concupiscentias suas non eat*; sic enim & ipsa ad exemplum sine labe conceptæ Virginis gratiæ instinctum vel à longè sequetur.

## PUNCTUM TERTIUM.

BEatissima Virgo non solum à peccato originali exempta est à Filio; sed etiam ei tanta gratia concessa est, ut eam jugiter adaugeret. Sicut enim servus ille Evangelicus talenta sua multiplicata Domino suo restituit; ita & B. Virgo gratiam incessanter multiplicavit. Non fuit ei impedimento fomes peccati; quin non ex omni virtute gratiæ cooperaretur. At nos miseri, quod tot gratias negligamus,nonne in culpa est; quia con-

concupiſcentias noſtras ſequimur? Quàm felix illa anima, quæ Ss. Patrem noſtrum ſequitur; dum ait: *Poſt concupiſcentias tuas non eas*; hôc enim modô faciliter ad imitationem B. V. Gratiæ ſibi collatæ menſuram adimplebit. O dulciſſima Virgo Maria! gratulor tibi ex intimô cordis affectu ad gratiam tuam, quâ Deus tam mirabiliter te prævenit, ut te à peccato originali, ejusque fomite, atque ab omni poſt mortem corruptione exemerit. Eja! piiſſima Virgo, & Mater recipe me in filium per iſtam gratiam tuam, & per immaculatam tuam conceptionem munda cor, & corpus meum à concupiſcentiis malis, quatenùs peccata actualia fugiam, gratiæ inſtinctum ſequar, & eandem ſemper adaugeam. Amen.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN non ergò, ô Religioſe! poſt concupiſcentias tuas non ibis, ne in peccata actualia incidas? ſenſus, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ. An non poſt concupiſcentias tuas non ibis, ut gratiæ inſtinctum ſequaris? Nonne ſi benè egeris, recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit; ſed ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illi. An non poſt concupiſcentias tuas non ibis, ut menſuram gratiæ tuæ adimpleas? Dico autem; ſpiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Dole, quòd ſecundùm con-

cu-

cupiſcentiam potiùs, quàm gratiam vixeris. Propone poſt concupiſcentias tuas non ire,

1. Ne in peccata actualia incidas,
2. Ut inſtinctum gratiæ ſequaris,
3. Ut eandem ſemper adaugeas.



## DIES IX.

### Quod poſt lapſum mox reſurgendum ſit.

Exurgamus ergò excitante nos Scripturâ, ac dicente; hora eſt, jam nos de ſomno ſurgere. Prolog. §. 2. v. 6.

### PUNCTUM PRIMUM.

NE diu in peccato perſiſteremus, ſive ex fragilitate, ſive ex malitiâ in peccatum lapſi eſſemus; Ss. Pater noſter graviter nos hortatur: *exurgamus ergò excitante nos Scripturâ, ac dicente: hora eſt, jam nos de ſomno ſurgere.* Exurge, ait, exurge, quæſo, expergiſcere, ô homo, qui peccati ſopore deprimeris: reviviſce tandem, qui lethali coram inimicis tuis gladio corruiſti. Adeſt Apoſtolus Paulus; audi, audi illum vociferantem, pulſantem, concutientem, clarisque ſuper te vocibus inclamantem: exurge, qui dormis, & exurge à mortuis & exſuſcitabit te Chriſtus. Qui Chriſtum reſuſcitatorem audis,

cur

cur de tua resuscitatione diffidis? Audi ex ore ipsius: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Si vita vivificatrix te quærit erigere, tu cur ulteriùs feras in tua morte jacere? Cave, cave, ne te barathrum desperationis absorbeat. Mens tua fiducialiter ex divina pietate præsumat, ne pro magnitudine criminis obdurescat. Non enim est peccatorum desperare, sed impiorum: nec magnitudo criminum in desperationem adducit animam, sed impietas. Si enim tantum potuit Diabolus, ut te in vitii profunda demergeret; quanto magis te virtus Christi poterit ad eum, de quo lapsus es, verticem revocare? Exurge ergo qui dormis, & illuminabit te Christus.

## PUNCTUM SECUNDUM.

E*Xurgamus ergo excitante nos Scriptura, ac dicente; hora est, jam nos de somno surgere.* Exurge, exurge, quæso, ait Ss. Pater tuus, qui in peccato obdormisti! ecce! misericordia Dei te invitat. Cecidit asinus carnis tuæ in luto sub pondere; est stimulus pœnitentiæ, qui pungat; est manus spiritus, quæ viriliter extrahat. Vide! Samson ille fortissimus; quia malè blandienti mulieri secretum sui cordis aperuit, non solum septem crines, quibus virtus alebatur, amisit; sed etiam præda factus Allophylis oculos perdidit: postmodum vero capillis jam renascentibus, Domini Dei sui auxilium humiliter

liter petiit, templum Dagon stravit, & multo majorem, quam prius hostium multitudinem interemit. Si ergo Dæmon, caro, aut mundus te decepit, si septem dona Spiritus sancti abstulit, si lumen cordis extinxit, non concidas animo, noli funditus, desperare, adhuc te in vires collige, fortia tentare præsume, & sic per misericordiam Dei de inimciis tuis poteris triumphare. Cogita infinitam Dei misericordiam erga peccatores. Pharaonem impœnitentem quoties Dei misericordia ad pœnitentiam revocavit? quam dulciter suscepit humiliatum Achab? Ad quantum sanctitatis gradum provexit Petrum, Mathæum, & Magdalenam? Quam pie Paradisum promisit pœnitenti Latroni? Exurge ergo, qui dormis, & illuminabit te Christus.

## PUNCTUM TERTIUM.

EXurgamus ergo excitante nos Scriptura, ac dicente; hora est jam nos de somno surgere. Exurge, exurge, quæso, instat Ss. Pater tuus, qui dormis adhuc in peccato. Audi terribiliter vociferantem Dei justitiam: Terribile est incidere in manus Dei viventis. Quot, qui converti tardarunt, post primum peccatum ad tartara misit? Quot, qui divinas inspirationes ad pœnitentiam excitantes neglexerunt, in peccato suo mori permisit? Quot, qui converti usque ad mortem distulerunt, ad majorem eorum damnationem peccata peccatis adjicere sivit? O quam ter-


ribiliter divinæ juſtitiæ gladius ſævit in peccatores? In igne zeli Domini devorabitur omnis terra, & in gladio ejus omnis caro. Ut quid ergo moraris converti? ut quid in peccato vel ad momentum perduras? Qui hoc momentum tibi ad pœnitentiam concedit, forſan alterum divinæ juſtitiæ reſervavit. Exemplo tibi ſit ille Eremita, qui cum multis virtutibus cum ſuo quodam collega Deo deſerviſſet, hæc illi per diabolum injecta clades eſt: ut quandocumque libidine titillaretur, conſentiret. At miſerum! ob hoc dæmonibus moriens, vidente ſocio, traditus eſt. O quis exclamat hic virtutum ejus exercitia recolens, ô quis poterit ſalvus fieri? Quomodo iſte periit? Cui mox Angelus: Ne turberis; iſte enim, licèt multa fecerit, per unam immunditiam cuncta fœdavit. Exurge igitur, qui dormis, & illuminabit te Chriſtus. Exurge, ne tenebræ mortis te comprehendant. Exurge, ne incidas in manus Dei viventis.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religioſe! ſtatim poſt lapſum ſurgis; quia ad pœnitentiam te invitat Chriſtus? Nunquid, qui cecidit, non adjiciet, ut reſurgat? An ſtatim poſt lapſum reſurgis; quia miſericordia Dei te ad pœnitentiam vocat? Nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat. An poſt lapſum mox reſurgis; quia divina juſtitia te excitat? Exacuam velut fulgur gladium meum. Dole, quod

quod & tu sæpiùs tardes à lapsu resurgere. Propone statim pœnitentiam agere

1. Ob vocantem Christum,
2. Ob excitantem misericordiam,
3. Ob minitantem Justitiam.



## DIES X.

### Quomodo quivis attendere debeat sibi ipsi ne in peccatum incidat.

Custodiens se omni hora à peccatis, & vitiis, Cap. 7. v. 11.

### PUNCTUM PRIMUM.

UT ad vigilantem nostrarum curam animarum nos incitaret Ss. P. N., quemvis adhortatur, ut *custodiat se omni hora à peccatis, & vitiis.* Ex mente nempe S. Spiritus loquitur: attende tibi ipsi, ne quando fiat verbum occultum in corde tuo, iniquitas. Quot enim cogitationes in corde exsurgunt, quibus ni restiteris, mox fiunt in peccatum? Quot Imaginatio species effigiat, quas ni represseris, statim fiunt in peccatum? ubi igitur ad peccandum proclivior via est, ibi cautio prærogata sit celerior? En! ipsa animalia bruta ad conservandam naturæ suæ substantiam noxia solicitè fugiunt, & econtra profutura sibi seligunt. Quanto magis tu,

cum ſis ratione præditus, & divinis eruditus præceptis, peccatum ceu venenatum pabulum averſaberis, & juſtitiam ceu edules herbas conſectaberis? Attende proinde continua cura tibi ipſi, tuis cogitationibus, tuæ voluntatis deſideriis, ut noxia mox ſubmoveas, & bona ſemper foveas. Per medios enim laqueos ingrederis, ab inimico nullo non loco laquei defixi ſunt.

## PUNCTUM SECUNDUM.

*Cuſtodiat ſe omni hora à peccatis, & vitiis.* Attende tibi ipſi, nequando verbum occultum fiat iniquitas. Attende tibi ipſi, hoc eſt, non tuis, non iis item, quæ circa te ſunt, ſed tibi ipſi, & ſoli attendito. Ipſi enim nos, & aliud ſumus, & aliud noſtra ſunt, aliud item, quæ circa nos conviſuntur. Sane ſumus nos & anima, & animæ mens, quatenus ad conditoris noſtri imaginem ſumus facti. Noſtrum autem corpus eſt, & qui per ſeipſum ſuum munus obeunt, ſenſus. Circa nos ſunt divitiæ, artes, & reliqua vitæ ſuppellex, atque apparatus. Quid igitur Spiritus ſanctus, & quid ex eo Ss. Pater tuus tibi præſcribit! Attende, non carni, ſed neque immodico ſtudio conſecteris ejus commoditatem, puta ſanitatem, multifariam voluptatum fruitionem, neque divitias, nec gloriam, & dignitatis amplitudinem admirere. At ne tu quæcunque tandem vitæ iſtius temporariæ ſubſidia tibi ſuppeditant uberiùs, tanti eſſe dixeris,

ris,ut præ horum ſtudio, & anxia ſolicitudine, præcipuam vitæ tuæ portionem aſpernere,& negligas. Nam corpus eſt mortale,anima vero immortalis eſt. Carnis vita, & omnia ei conjuncta celeri curſu prætercurrunt; animæ autem vita eſt immortalis, & omnia ei cognata nullam admittunt circumſcriptionem. Attende igitur tibi ipſi, hoc eſt, animæ tuæ, ne aliquid ex ſenſibus,aut externis rebus fiat ei in peccatum.

## PUNCTUM TERTIUM.

C*Uſtodiat ſe omni hora à peccatis, & vitiis.* Attende tibi ipſi, ne verbum occultum fiat iniquitas. Ut ſtrenuus pugil ipſe habeto animæ oculum nuſquam evagantem, ſed ſibi attentum,ac pervigilem. Præmuni, ac tuere paſſis manibus partes, quarum plaga lethalis ſit. Ne ſis animo dormiturienti, ut ad inſtar juvenum de die ſomnies, atque varias tibi ipſi fingas cogitationes. Iſti enim ædes poſſident luculentas,divitias multas, voluptates maximas, vanitates innumeras, quantas vaniſſima eorum cogitatio capere poteſt. Ne ejusmodi otioſis, vanis cogitationibus animam tuam impleas. Otioſæ prorſus, & ceſſantis animæ propria hæc eſt ægritudo, cernere inſomnia vigili corpore. Hanc remiſſæ mentis laxationem, tumorem, ac vanitatem cogitationum comprime. Tibi ipſi attende, ne verbum iſtud occultum fiat iniquitas. Si enim de omni verbo otioſo homines redditu-

ri ſunt rationem nunquid & rationem reddent de cogitatione otioſâ, vana &c.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religioſe! cuſtodis omni horâ animam tuam, ne cogitatione malâ, aut deſideriô perverſô peccet? De corde exeunt malæ cogitationes. An cuſtodis omni hora animam tuam, ne per ſenſus, aut res externas peccet? Nonne anima plus eſt, quam eſca? An cuſtodis omni horâ animam tuam, ne vanis, vel otioſis cogitationibus peccet? De omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem. Dole, quod hucusque tibi ipſi non rite attenderis, ne peccares. Propone animæ tuæ ſoli attendere,

1. Ne per malas cogitationes, aut deſideria peccet.
2. Ne per ſenſus, aut res externas peccet.
3. Ne per otioſas, vanas &c. cogitationes, vel deſideria peccet.



## DIES XI.

### Quomodo in congregatione vivendum ſit.

Zelum ferventiſſimo amore exerceant Monachi. Cap. 72. v. 3.

## PUNCTUM PRIMUM.

Nullo plane capite S. Regulæ Ss. Pater modum bene vivendi in congregatione pulchriùs delineat, quam penultimo, dum ait; *Zelum ferventiſſimo amore exerceant Monachi.* Hoc enim capite deſcribit; qualiter ſe quis habere debeat erga ſeipſum in omni converſatione ſuâ, ſcilicet, ut *Deum timeat.* Ordinabiliter quippe vivit, qui in omni converſatione ſua ſolicitus eſt obſervare vias ſuas, & in conſpectu Domini, & in conſpectu proximi; cavens & ſibi à peccato, & illi à ſcandalo. Semper talis levat ſe ſuper ſe; quia ſemper ad illum reſpicit, qui eſt ſuper ſe, ut taceat à ſtrepitu diabolicarum ſuggeſtionum, à ſtrepitu carnalium deſideriorum, à ſtrepitu mundi. Timet equidem Deum offendere, qui eſt ſuper ſe, & contemnentes Deum permittit incidere in gehennam. Semper talis curat, ne quo peccato proximum ſuum ſcandalizet; quia ſemper auribus ejus inſonat terribile illud Salvatoris edictum; væ homini, per quem ſcandalum venit! O quam ordinate ad ſe in omni loco, & tempore ambulat coram Deo & hominibus, qui ſic timet Dominum!

## PUNCTUM SECUNDUM.

H*Unc zelum ferventiſſimo amore exerceant Monachi* erga proximos ſuos, ut *infirmitates ſive corporum, ſive morum patientiſ-*

*ſimè tolerent.* Sociabiliter equidem vivit, qui ſtudet ſupportare non ſolum patienter, ſed & libenter infirmitates fratrum; qui ſtudet blandum ſe, & affabilem omnibus exhibere; qui ſtudet amari, & amare. O quam dulcis, jucunda, & bona eſt talis ſocietas! verè Paradiſus eſt, in quo Angeli terreſtres habitant, & torrente voluptatis ex mutuâ charitate potantur. At in hoc Paradiſo non verſantur illi filii Adam, qui erraverunt in ſolitudine in inaquoſo. Erraverunt planè, & errant à via veritatis, qui in ſolitudinem ſuperbiæ recedentes, ſocialem vitam habere nolunt, pati, amare, & amari recuſant, quorum ſingularitas aſſociari non poteſt. Sed & in aquoſo: quia nullo torrente divinæ conſolationis irrigati in terra ſterili, & arenti perpetua ſiccitate morantur. Propterea viam civitatis habitaculi in pace non invenerunt: quia inveterati in terrâ alienâ per averſiones coinquinati ſunt cum mortuis, deputati ſunt cum his, qui in inferno ſunt. Ah Domine eripe me ab hoc inferno!

## PUNCTUM TERTIUM.

HUnc *zelum ferventiſſimo amore exerceant Monachi* erga Deum, ut *amori Chriſti omnino nihil præponant.* Verè enim diligit Deum, qui omnia ejus mandata obſervat, & nihilominus humiliter coram Deo converſatur. Hæc enim omnia cum fecerit, continuo ſtudet ſpiritum vanitatis exſufflare, qui ex hu-

hujusmodi nasci solet: & quantumcunque illum senserit, negat omnino consensum. O quantum placet ejusmodi humilis, & amorosa conversatio ad Deum! talem humilem Deus protegit, exaltat, ut pupillam oculi sui custodit, ne unquam offendat ad lapidem pedem suum; mutat fortitudinem ejus, ut de die in diem magis in amore crescat.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religiose! ordinabiliter conversaris tecum? Beati, qui timent Dominum. An sociabiliter conversaris cum fratribus? Ecce! quam bonum, & jucundum habitare fratres in unum. An humiliter conversaris cum Deo? Non autem ego, sed gratia Dei mecum. Dole, quod istum modum vivendi in Congregatione non observaris. Propone

1. Ordinabiliter tecum,
2. Sociabiliter cum proximis,
3. Humiliter cum Deo conversari.



# DIES XII.

## De Exemplis Charitatis fraternæ.

Charitatem fraternitatis casto impendant amore. Cap. 72. v. 8.

## PUNCTUM PRIMUM.

VErba quidem Ss. Patris noſtri, *charitatem fraternitatis caſto impendant amore*, ad dilectionem movent; ſed exempla dulciſſimæ illius in Fratres charitatis ad eandem fortiter trahunt. Quis enim non libenter inimicos Fratres ſupportet, qui recogitat, quo amore Ss. Pater ſuus Fratribus veneno illum extinguere conantibus veniam tribuerit, ac indulgentiam: miſereatur veſtri Fratres? Planè cor ſaxo durius habeat, qui illum non ſequatur. Quæ enim bona dilectio iſta ei non contulit? Nonne remiſſionem plenam peccatorum? ſi quibus maculatus extitit. Dimittite, & dimittemini. Nonne gratiam? Ille veraciter charitatem habet, qui amicum diligit in Deo, & inimicum propter Deum. Nonne nominis, & Ordinis ſui ſplendorem? Multi ab eo ad omnipotentis Dei ſervitium ſunt congregati, ita, ut pro uno duodecim Monaſteria cum omnipotentis JEſu Chriſti Domini opitulatione gubernaret. Nonne regnum cœlorum? Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam; quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.

## PUNCTUM SECUNDUM.

FOrtiter quidem verba iſta Ss. Patris noſtri, *charitatem fraternitatis caſto impendant amore*, ad charitatem movent, ſed fortius trahunt ejus exempla. Quis enim non libenter

do-

dolentes in anima, & corpore consolabitur, dum cogitat, quod Ss. Pater suus eunte Dæmone ad tentandos Fratres pro ipsis orat, & vexatum ab eodem malo genio Monachum alapa sanum reddit? Sane magna charitas est, dolentem consolari. Quid enim in tribulatione sive interna, sive externa magis optamus, quam solatium? Unde qui tribulato solatium impendit, etsi à malo penitus illum non liberet, tamen mirum in modum tribulationem ejus sublevat, juvat onus ejus portare, atque in patientia eum confortat. Verè, quod uni ex minimis hisce solatium impendisti, Christo impendisti. Vide igitur quo charitatis fervore deinceps omnes desolatos consolaris.

## PUNCTUM TERTIUM.

VEhementer verba ista Ss. Patris nostri, *charitatem fraternitatis casto impendant amore*, cor ad charitatem movent, sed exempla illius vehementius ad imitationem trahunt. Quis enim recogitet, quod Ss. Pater suus ad orationem simul cum fratribus stet, & ad labores agri exeat, & ad portanda communia fratrum onera non excitetur? Equidem charitatis dilectio est operis exhibitio. Nam non solum lingua, sed opere, & veritate diligendus est proximus. Unde & recte Doctor dilectionis ait? quod *major merces, & charitas acquiritur* è communibus fratrum ministeriis. Charitas quidem; quia

teste

teſte ipſa veritate vera dilectio eſt; ſi, quæ vultis, ut faciant vobis homines, & vos illis facitis. Merces autem; quia ſic non ſolùm implet, ſed adimplet legem Chriſti. Lex etenim Chriſti ùt S. Gregorius aſſerit, quid congruentius intelligi, quam charitas poteſt! Quam tunc verè perficimus, cum fraterna onera ex amore toleramus. Sequere ergo Ss. Patrem tuum, & charitas tua, & merces tua erit magna nimis.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religioſe! ad exemplum Ss. Patris tui inimicis fratribus libenter ignoſcis? Benefacite his, qui oderunt vos. An ad exemplum Ss. Patris tui dolentes in anima, & corpore conſolaris? Educes de tribulatione animam meam, & in miſericordia tua diſperdes inimicos meos. An ad exemplum Ss. Patris tui communia fratrum miniſteria obis? Alter alterius onera portate. Dole, quod ad tanta charitatis exempla nondum veraciter diligas confratres tuos. Propone ad Ss. Patris tui exempla

1. Inimicis fratribus ignoſcere.
2. Dolentes in anima, & corpore conſolari.
3. Communia miniſteria exacte obire.

DIES



## DIES XIII.

### De Negligentiis in Horis canonicis.

Iners devotionis ſuæ ſervitium oſtendunt Monachi. Cap. 18. v. 26.

## PUNCTUM PRIMUM.

INers ut Ss. Pater ait, *devotionis ſuæ ſervitium oſtendunt Monachi*, qui absque præviâ præparatione accedunt ad horas canonicas. Neceſſe enim eſt, ut mens inter orandum eadem ruminet, quæ ante orationem cogitavit. Si namque cogitationes bonæ, cum fuerint ante in corde noſtro conceptæ per memoriam Scripturarum, aut per recordationem ſpiritualium actuum, aut certe per intuitum cœleſtium Sacramentorum, adhuc tempore orationis quaſi imperceptibiliter fugiunt, elabuntur, & protinus evaneſcunt; qualiter cogitationes bonas retinebit, qui de his ante orationem nunquam cogitavit? Totus diſtractus accedit, totus diſtractus orat, totus diſtractus recedit. Sine fervore acceſſit, ſine fructu, ſine guſtu recedet. An non iners valde hoc ſervitium devotionis eſt, cui maledicit Dominus; quia totum negligens, & tepidum eſt.

Pun-

## PUNCTUM SECUNDUM.

I*Ners devotionis ſuæ ſervitium oſtendunt Monachi*, qui voluntariis diſtractionibus in horis canonicis occupantur. Et unde iſta inertia? Solicitudine rerum carnalium pleni ſunt. Fervent ad ſua externa negotia, & ad ſpiritualia exercitia tepent. Variis animi paſſionibus turbantur. Nunc triſtitia, nunc lætitia inordinata exuberant. Non poteſt in hoc ſtatu mens aliud cogitare, aut deſiderare, quam quo cor ejus plenum eſt. Ubi enim Theſaurus tuus, ibi & cor tuum; & ubi cor tuum, ibi & cogitatio tua eſt. An non autem iners hoc devotionis ſervitium eſt, eo tempore Deum offendere, quem ad placandum, & exorandum pro tuis, totiusque Eccleſiæ neceſſitatibus veniſti? Tu ergo cohibe cogitationes lubricas per memoriam divinæ præſentiæ, & Ss. Angelorum, & ante omnia vitia & inordinatas paſſiones eradicare, atque virtutes implantare ſatage. Sic & non aliter ſtabilis in oratione perſeverabis.

## PUNCTUM TERTIUM.

I*Ners devotionis ſuæ ſervitium oſtendunt Monachi*, qui non mente, & ſpiritu pſallunt. Quomodo enim Deus illos audiet, qui ſeipſos non audiunt? Quomodo Deus inclinabitur ad illorum preces, qui nullo affectu ad ipſum feruntur? Plane non orat, qui cogitationem & affectum ſuum ad Deum non ele-

elevat. Nunquid & hoc iners devotionis ſervitium eſt? Sed tu emenda te. Sequere illos antiquosPatres,qui ita abſorpti in Deum pſallebant,ut jam non Prophetæ verba, ſed propria enunciarent. Ita fervide pſallebant, ut cogitatio, & affectus ipſorum conſtanter Deo adhæreret. Ita divinis intenti myſteriis pſallebant,ut Angeli potiùs,quàm homines viderentur. O qui ita pſalleret, quantas quotidiè gratias à Deô pro ſe, & totâ Ss. Eccleſiâ obtineret! at prô dolor; quia in divinô ſervitiô toti inertes ſumus, quot gratias & nobis,& aliis perdimus? Quàm ſtrictam iſtarum negligentiarum rationem reddemus? utiquè officium noſtrum eſt, puram Deo orationem offerre.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN non & tu,ô Religioſe! ſine præparatione accedis ad orationem: Ante orationem præpara animam tuam,& noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum. An non & tu diſtractè oras: Noli eſſe unus de populo, qui labiis Deum honorat,& non corde. An non & tu ſine affectu oras: Maledictus homo,qui facit opus Dei negligenter. Dole,quòd etiam tuum devotionis ſervitium hucùsque totum quantum iners fuerit. Propone

1. Ante orationem animam tuam præparare,
2. Senſui Pſalmorum duntaxàt attendere,
3. Ex proprio affectu Pſalmos decantare.



## DIES XIV.

### Quod lingua tribus seris sit munienda.

Multum loqui non amare. Cap. 4. Inst. 53.

## PUNCTUM PRIMUM.

NE *multum loqui ames* ad mentem Ss. Patris tui, pone custodiam ori tuo. Prima sera sit deliberatio mentis, ut sine hac nunquàm loquaris. Scriptum enim est: Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium. Loquitur namque justus judicium pro eô, quòd omnia rectô judiciô, & cum deliberatione, & cum consiliò loquitur. Hinc nihil loquitur ex præcipitantiâ, nihil per iracundiam, nihil per arrogantiam, nihil ut hominibus placeat, nihil ex tristitiâ, nihil ex metu, nihil ex lætitiâ; quia singula ista solent utique non integrum hominibus servare judicium. Lex etenim Dei ejus in corde ipsius ut velut radix quædam in corde justi posita germinet verba justitiæ, verba veritatis, verba sanctitatis. O qui ita cum deliberatione loqueretur, certè nec multum, nec malum, nec otiosum, nec offensivum loqui amaret!

## PUNCTUM SECUNDUM.

NE *multum loqui ames*, altera ſera linguæ tuæ ſit, ut non loquaris niſi ex obedientia, aut præſumpta voluntate Superioris. Unde Ss. Pater ait: *Monachus taciturnitatem habeat usque ad interrogationem.* Et hoc Ss. Patris tui præceptum libenter cuſtodies, ſi damna multiloquii rite conſideraveris. Peccatum enim, quod per linguam admittitur, omnium fere propenſiſſimum, ſed & idem multiforme. Iratus es? Mox lingua occurrit. Concupiſcentia teneris? Habes & hic linguam ante omnia quaſi lenam, & conciliatricem, quæ cooperetur peccato, quæ per ſimulationem proximis imponat. Eſt tibi lingua quoque vice ſcuti ad iniquitatem, cùm non ex corde loquitur, ſed ea promit, quæ ad fraudem faciunt. Denique quid opus commemorare, quæ per linguam peccentur? Vita noſtra referta eſt linguæ delictis. Ne igitur iram tibi in die Domini theſaurizes, prohibe linguam tuam à multiloquio; quia non effugies peccatum. Trade clavem linguæ tuæ Superiori, & non offendes verbo.

## PUNCTUM TERTIUM.

NE *multum loqui ames*, tertia ſera linguæ tuæ ſit recta intentio, ut cunctis tuis ſermonibus tum puram intentionem, tum devotam in corde orationem præmittas.

Orationem quidem; quia ſine adjutorio Dei lingua tam lubrica retineri intra clauſtrum non poteſt. Dic ergo cum Propheta: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Intentionem vero; quia lingua alium in finem utendum eſt, niſi ad quem data eſt. Et quis iſte finis eſt? Utique laus Dei. Ad hanc quippe ſolum Deus aperit os juſtorum. Unde Dominus Moyſi dixit: Ego aperiam os tuum, & inſtruam te, quæ oporteat te loqui. Beati, quorum os Deus aperit, ut loquantur. Aliud loqui non poſſunt, quàm verba Dei, & ad laudem Dei. Miſeri autem ſunt quorum os Diabolus aperit. Aliud non loquuntur, quàm verba malitiæ, & ad contemptum Dei. Væ his, qui ſpernunt, nonne & ſpernentur.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religioſe! cuſtodis os tuum à multiloquio, ut ſine deliberatione nihil loquaris? Qui inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala. An cuſtodis os tuum à multiloquio, ut ſine voluntate Superioris non loquaris? Si quis putat ſe Religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, hujus vana eſt Religio. An cuſtodis os tuum à multiloquio, ut absque præmiſſa oratione, & recta intentione non loquaris? lingua mea meditabitur juſtitiam tuam, tota die laudem tuam Dole, quòd toties Deum lingua offenderis.


Pro-

Propone cuſtodiam ori tuo ponere, multum loqui præcavere, atque

1. Sine deliberatione,

2. Sine expreſſa, aut tacita voluntate Superioris,

3. Sine præmiſſa oratione, & recta intentione nihil unquam loqui.



## DIES XV.

### Quòd Religioſus debeat eſſe ſpeculum bonorum operum.

Ut ædificentur. Cap. 47. v. 3.

### PUNCTUM PRIMUM.

UTi Ss. Pater factus eſt ſpeculum bonorum operum, ita & Filii ejus Patrem ſuum in hoc repræſentare debent. Et ſicut Ss. Pater crebro ædificationem nobis commendat, v. 9. *ut ædificentur audientes*, cap. 47. v. 3; ita hanc doctrinam opere nos complere oportet. Etenim exemplum bonum, eſt cauſa converſionis multorum. Nam ut ait beatus Job in perſona peccatoris: inſtauras teſtes tuos contra me, & multiplicas iram tuam, & pœnæ militant in me. Teſtes ſuos contra peccatorem Dominus inſtaurat; quia bona, quæ facere ipſe negligit, hæc ad correptionem ipſius fieri ab aliis demonſtrat, ut qui præceptis non accenditur, ſaltem exemplis

excitetur, atque in appetitu rectitudinis nil sibi mens ejus difficile æstimet, quod perfecte peragi ab aliis videt. Et fit plerumque, ut cùm alienæ vitæ bona conspicit, sua solicitus damna timeat, defleat, emendet. Hinc quoque pœnæ militant in eo; quia dum miranda proborum facta conspicit, vitam suam, quæ ex eorum sibi comparatione displicet, studiosa semper afflictione cruciat, donec à peccatis suis ad Deum penitus convertatur. Vide ergo quantam obligationem habeas, ut peccantem mundum ædifices; quia per sacram Professionem spectaculum factus es Deo, & Angelis, & hominibus. Quantam damnationem tibi mundus procurabit, quando nulla bona opera se apud te vidisse testificabitur!

## PUNCTUM SECUNDUM.

UT *ædificentur.* Exemplum bonum est causa perfectionis in multis. Habet enim unumquodque propositum suos principes, quos si secutus fueris, ad perfectionem infallibiliter pertinges. Habent namque Episcopi, & Presbyteri in Exemplum Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem possidentes, habere nitantur & meritum. Habent Monachi sui instituti Principes Paulos, & Antonios, Julianos, Hilariones, Macarios, & eos, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula juxta fluenta Jordanis. Et hos, quot non

secu-

ſecuti, optatam perfectionem aſſecuti ſunt? Vim magnam etenim habet exemplum bonum. Trahit etiam nolentes. Hinc de ſancto Ephrem ſanctus Gregorius ait: nullus erat tam impudens, qui non intuens eum, rubore perfunderetur, ſeque ipſo melior, & modeſtior fieret. Vide igitur, ut & tu tale ſpeculum ſis confratribus tuis, ut non ſolum in omni perfectione S. Regulæ eis præluceas, ſed & eos fortiter ad eandem obtinendam tuo exemplo trahas. Hoc enim præceptum Domini eſt: luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. O quàm acriter te accuſabunt juniores fratres, quòd ex operibus tuis proficere non potuerint!

## PUNCTUM TERTIUM.

UT *ædificentur.* Exemplum bonum eſt cauſa multarum coronarum. Quoniam ſi virtutem exercueris, facile videntes te homines ad ſimilem virtutem incumbent. Quotquot autem ad opus pietatis tuo exemplo pertraxeris, tòt tibi fabricabis coronas in cœlis. Etenim ſi juſtus Dominus ſempiternum væ ſcandalizanti ingeminat, & miſericors retributor augebit incrementa frugum juſtitiæ illi, qui proximum ſuum in bono, & ad bonum ædificaverit. Vide proinde, ut verum virtutum ſpeculum omnibus te exhibeas; quatenus coronæ tuæ in cœlis

jugiter increſcant. Ad hoc namque te hortatur, qui unicuique tribuet juxta opera ſua. O quantum dolebis, quòd augmentum gloriæ tuæ non ſtudioſius procuraveris!

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religioſe! ſpectaculum es mundo peccanti, ut convertatur? Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. An ſpectaculum es Religioni, ut omnes in ea meliora chariſmata æmulentur? Vos eſtis lux mundi. An ſpectaculum es omnibus hominibus, ut coronæ tuæ in cœlis multiplicentur? Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cœlorum. Dole, quòd defectu bonorum operum nec mundo, nec Religioni ædificationi hucusque fueris. Propone omnes homines ædificare

1. Ad converſionem peccatorum,
2. Ad perfectionem juſtorum,
3. Ad multiplicationem præmiorum.

****************************

# DIES XVI.

## De Sepulchro.

Mortuum ſepelire. Cap. 4. Inſtr. 17.

## PUNCTUM PRIMUM.

MErito Ss. Pater noſter hortatur, *mortuum ſepelire*. Nihil enim eſt utilius, quàm cre-

crebro meditari de ſepulchro. Omnia vitia cogitatio ſepulchri exterminat. Quomodo vitiis vacare poteris, ſi ſerio cogites, quòd huic hodie, cras tibi idipſum continget? Quomodo ſuperbire poteris, dum te in confratre cinerem, pulveremque eſſe aſpicis? Quomodo invidiæ flammis inflammari poteris, qui cernis omnia bona temporalia tam velociter à confratre fugiſſe? Quomodo luxuria incendi poteris, qui vides in confratre tam velociter omnem virorem humani corporis exaruiſſe? Quomodo gula titillari poteris, qui carnem confratris conſpicis haud aliud eſſe, quàm eſcam vermium? Quomodo ira, aut odio moveri poteris, qui contemplaris omnem in confratre paſſionem tam ſubito ſublatam eſſe? Verbo, vitium nullum eſt, quod non in cinerem, pulverem, nihilum abeat, quando ſepulchrum ſerio cogitatur. An iſta cogitas, cùm mortuum ſepelis?

## PUNCTUM SECUNDUM.

M*Ortuum ſepelire.* Nihil ſic facit præſens ſæculum contemnere, quàm ſeria de ſepulchro cogitatio. Quis vanitati, aut voluptati hujus mundi diutius inhæreat, quandoquidem omnia tranſitoria à defuncti cadavere penitus tranſiſſe conſpicias? Nihil enim ſic decipit genus humanum univerſim, quàm quòd bona iſta diutius poſſidere ſe poſſe autumet. At dum vanitatem, & brevitatem

eorum ex cineribus defuncti considerat, desipiunt ei omnia. & ea, quæ tam velociter transeunt, pro jam transactis habet. O qui ita sapienter tumulum suum consideraret certe nec vanitate, nec voluptate hujus mundi caperetur. Et tamen sapientis est, non tam cujuslibet rei initium, quàm finem, exitumque providere. Hunc ergo exitum mundanæ felicitatis cogita, quando mortuum sepelis, & à sæculi actibus te prorsus facies alienum.

## PUNCTUM TERTIUM.

M*Ortuum sepelire.* Nihil sic ad virtutem excitat, quàm accurata, & vivax sepulchri meditatio. Quanto enim tempore in sepulchro jacere, atque ab omni opere bono cessare debemus? Nonne ergo instanter operandum nobis est, quidquid potest manus nostra, dum in hac luce sumus, ne tenebræ sepulchri concludant nos, & amplius bene mereri non valeamus. Inspice igitur sepulchrum, vide ibi mysteria, cerne dilapsam naturam, ossa corrosa, corpus putrefactum. Ubi fortitudo? An non omnia cinis! Nonne omnia pulvis?? Nonne omnia favilla? Nonne omnia vermis? Nonne omnia fætor? Hæc animo insere, dum mortuum sepelis, & virtuti præ omnibus, & unice studebis, quia sola manent tibi incorrupta ad gloriam.

Pun-

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religiose! cùm mortuum sepelis confratrem, cogitas & sepulchrum tuum, ut vitiis moriaris? Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis; an cùm mortuum sepelis, cogitas de sepulchro tuo, ut mundo moriaris? O Mors, quàm amara es homini, pacem habenti in substantiis suis. An cùm mortuum sepelis, cogitas de sepulchro tuo, ut ad virtutem excitêris? Currite, dum lumen vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant. Dole, quòd sepeliendo confratres tuos de futuro incolatu sepulchri tui nunquam, aut non serio cogitaveris. Propone serio tali occasione istud considerare,

1. Ut vitiis, &
2. Ut mundo moriaris, atque
3. Ut ad virtutem exciteris.



## DIES XVII.

### De Adventu Domini nostri JEsu Christi.

Mittitur Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam Joseph.

### De Humilitate, qua B. Virgo se dispo- suit ad conceptionem Verbi.

Ad omnia, quæ sibi injunguntur, vult operarium malum, & indignum se judicet.

Cap. 7. gr. 14. v. 62.

# PUNCTUM PRIMUM.

MIſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ ad Virginem deſponſatam Viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Et ingreſſus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena; Dominus tecum; Benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone ejus & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Ecce! turbatur Virgo ſuperbenedicta in ſermone Angeli; quia Angelicô ſe indignam & alloquio judicavit, & obſequio. O quanta eſt iſta humilitas Virginis in tanta gratiarum ſublimitate! prô? quàm longe ab ea diſtas? Nunquid & Ss. Pater tuus te hortatur, ut *ad omnia te indignum judices?* At quis ſe digniorem ad gratias ſupernaturales judicat, quàm tu te ipſum? Verùm cognoſce peccata tua, quæ perpetrâſti; cognoſce peccata, quæ adhuc dum tibi occulta ſunt, ſed in diſtricto judicio Dei manifeſtabuntur; cognoſce peccata, quæ ex pronitate tua ad malum ſingulis horis committeres, niſi Divina protectio te præſervaret, & revera viliſſimum te reputabis, & indignum omni Dei beneficio. Ipſe tibi diſplicebis. Non niſi verberibus, & pœnis te dignum judicabis. Miraberis, quòd Deus tam vilem hominem, tam promptum ad omne malum, tam tardum ad omne bonum dignetur ſibi in ſervum aſſumere. Hac autem tui cognitione imitaberis

beris saltem à longe humilitatem Virginis. Per hanc cum illa exaltaberis. Ipsa enim teste S. Bernardo humilitate concepit Filium Dei.

## PUNCTUM SECUNDUM.

AIt Angelus ei: ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce! concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus JEsum: hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quò amplius exaltatur Virgo, eò amplius se deprimit. Audit se invenisse gratiam apud Deum; audit se invenisse, quod quærebat; audit se invenisse, quod nemo ante ipsam invenire potuit, Dei videlicet, & hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem: & nihilominus indignam se tanta sublimitate æstimat, prætendebat virginitatem suam: quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco? O quàm longe es ab hac Virginis humilitate? Nonne & Ss. Pater tuus te admonet, ut *ad omnia te indignum judices?* Verum cùm laudaris, quàm avidè laudi tuæ intendis? Quàm cupidè honores ambis, & acceptas? Et quamvis nulla laude te dignum scias, & in domo patria fortè non nisi contemtibilis esse potuisses,

ſes, tamen in ſchola humilitatis & ſuperbiam amas, & honores appetis? Quando enim profundiùs te humiliâſti, dum laudem tuam audire debuiſti? Quando infirmitatem tuam ſive corporis, ſive animi, aut impotentiam tuam objeciſti, dum tibi munus aliquod honorificentius oblatum eſt? Nonne potius præſumptuoſe ſupra vires tuas onus in te ſuſcepiſti! Verùm cogita: humilis eſt porta cœli; non niſi humiles admittit. Conſidera, vanam gloriam tineam eſſe, quæ omnia opera bona corrodit; cribrum eſſe, quod aquam ſapientiæ retinere non poteſt; & verè cùm ſuperbenedicta Virgine te humiliabis. Humiliatus cum ea exaltaberis. Ipſa enim humilitate concepit Filium Dei.

## PUNCTUM TERTIUM.

RESpondens Angelus dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei. Dixit autem Maria: ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. En! quomodo ſemper ſolet eſſe gratiæ divinæ familiaris virtus humilitas. Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam. Humiliter ergo reſpondet, ut ſedes gratiæ præparetur. Ecce, inquit, ancilla Domini. Quæ eſt hæc tam ſublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, inſoleſcere gloria neſcit? Mater Dei eligitur, & ancillam ſe nominat.

Non

Non mediocris revera humilitatis insigne, nec oblata tanta gloria oblivisci humilitatem. Non magnum est esse humilem in abjectione; magna prorsus & rara virtus, humilitas honorata. Si Deus me aliqua speciali gratia ex abundantia pietatis suæ accumulat, mox propriæ infirmitatis meæ obliviscor. Si me miserum homuncionem meis decepta simulationibus ad aliquem vel mediocrem honorem provexerit obedientia, Deo nimirum hoc vel propter mea, vel propter subditorum peccata permittente: nonne statim oblitus, quis fuerim, talem me puto, qualis ab hominibus, qui cor non vident, putor! Credo sane conscientiam non attendo, & reputans non honorem virtutibus, sed virtutes honori, eò sanctiorem, quò superiorem me æstimo. Verè ad mentem Ss. Patris *ad omnia, quæ mihi injunguntur, velut operarium malum me judicarem*, si vel solam istam superbiam, non attentis aliàs in talibus officiis admissis erroribus, exactiùs in me reprehenderem. Humilia ergo te ò Anima mea! cum B. Virgine, ut cum eadem veraciter exalteris. Ipsa enim humilitate concepit Filium Dei.

## PUNCTUM QUARTUM.

O Virgo, & Mater Dei! o Potentissima Regina cœli, & terræ! quàm magna tibi fecit, qui potens est? Quantis gratiis te ornavit, qui te sibi in Matrem elegit? O quàm

quàm ſublimis, quàm alta, quàm incomprehenſibilis eſt dignitas tua? Poſt Deum major cogitari non poteſt. Et unde tibi tanta Excellentia? Nonne quia Dominus reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ? Ah! quantùm obſtupeſco tuam profundiſſimam humilitatem in altiſſima ſublimitate? O quantùm confundor de mea maxima ſuperbia in viliſſima vilitate mea? Tu, ô gratia plena! ô Benedicta inter mulieres! turbaris, dum ita ab Angelo ſalutaris; & ego viliſſimus peccator, quàm impatienter fero conſolationis ac gratiæ ſubtractionem, ac ſi jure mihi deberentur, qui non niſi perditionem ex me habeo, & propter mea peccata toties infernum mereor. Tu certior facta, quod inveneris gratiam apud Dominum, tamen te indignam judicas, ut Mater Dei ſis, & ego inſcius, utrùm amore, an odio dignus ſim, ſupra vires meas onera dignitatum ambio, ſuſcipio. Tu Mater Dei cùm ſis, tamen te ancillam nominas; & ego quia in omni ſtatu meo offendo, me magnifico, juſtifico. O humillima Virgo! verè digna es, ut concipias verbum æterni Patris; quia humilis es. Ah! aperi Virgo ſinum! expande gremium! præpara uterum! Dic tandem: fiat mihi ſecundùm Verbum tuum, ut per gratiam etiam ad me veniat. Dic; fiat mihi de Verbo ſecundùm verbum tuum, ut & me in cognitionem mearum miſeriarum ducat. Dic; fiat Verbum, quod erat in principio apud Deum,

Deum, caro de carne mea secundùm verbum tuum, ut ego fragilitatem meam agnoscam. Nunquam enim illud mente concipiam; nisi meipsum agnovero, & vilificavero. *O Sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiisti, attingens à fine usque ad finem, fortiter, suaviterque disponens omnia; veni ad docendum nos viam prudentiæ!* veni! doce nos humiles esse, ut possis habitare in nobis! an igitur, anima mea! te indignam reputabis ad omnem gratiam? Qui se humiliat, exaltabitur? An indignam te reputabis ad omnem dignitatem? Deus superbis resistit. An operariam malam in statu gratiæ, & dignitatis te reputabis? Humilibus dat gratiam. Dole, quòd te tot gratiis indignam ob tuam superbiam reddideris. Propone, te ad illas exemplo B. Virginis per humilitatem disponere; atque ideo

1. Te indignam æstimare ad omnem gratiam,
2. Te indignam æstimare ad omnem dignitatem.
3. Te operariam malam æstimare in statu gratiæ, & dignitatis.

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀

## DIES XVIII.

## Verbum æterni Patris incarnatur.

### De admirabili unione Humanitatis cum Divinitate.

Fiat illius voluntas in nobis. Cap. 7. gr. 1. v. 19.

Pun-

## PUNCTUM PRIMUM.

VErbum caro factum eſt, & habitavit in nobis; dum Virgo vix verba illa: ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum, compleverat. O quàm admirabilis eſt iſta unio! nec poteſt doceri, niſi à donante; nec poteſt addiſci, niſi à ſuſcipiente. Ideoque quod naſcetur ex te, vocabitur Filius Dei, ita ut quòd natum eſt ex ipſo Patre, érit tuus; & quod naſcetur ex te, erit ejus; & tamen non erunt duo filii, ſed unus. Plane admirabilis eſt iſta unio. Sed qui voluit humanitatem noſtram ſuæ copulare Divinitati, vult, ut & nos unum ſimus cum ipſo. Ad hoc enim venit in mundum. Ad hoc deſcendit de cœlo, non ut faceret voluntatem ſuam, ſed voluntatem ejus, qui miſit ipſum. In hoc poſuit rationem, & ſummam omnis perfectionis noſtræ. Ad iſtud quoque nos obligat Ss. Pater noſter; aſſerens. *Fiat voluntas illius in nobis.* Verùm nunquam tuam cum Divina voluntate conformaveris voluntatem, niſi à voluntatibus tuis penitus averſus fueris. Sola tua propria voluntas ſeparat hanc dulcem, amabilem, & admirabilem unionem.

## PUNCTUM SECUNDUM.

VErbum caro factum eſt, ut faciat ſemper, quæ placita ſunt Patri. Cibus enim ejus eſt, ut faciat voluntatem Patris ſui, ita, ut non veniat ullum ipſius mandatum ſolvere,

ſed adimplere. Hinc ex voluntate Patris per novem menſes jacet in utero Virginis; viſitat Joannem præcurſorem ſuum; vult naſci in ſtabulo Bethlehemitico. Ideo in primo inſtanti conceptionis ſuæ ſe offert cum anima, & corpore Ss. voluntati æterni Patris ſui, cui cupit fieri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Ad hanc voluntatis Divinæ executionem te quoque obligat Verbum incarnatum, cùm ait: Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt. Ad hanc inſuper te adſtringit Ss. Pater tuus, cùm dicit; *fiat voluntas illius in nobis*. Verùm nunquam hanc unionem cum Divina voluntate impetrabis, niſi præcepta Dei quotidie factis adimpleveris, niſi in omnibus magiſtram ſecutus fueris Regulam. Hoc eſt enim voluntas Dei. Hæc voluntas Dei eſt ſanctificatio tua. Hanc voluntatem Dei faciens reportabis repromiſſiones Dei. Quidquid extra hanc voluntatem Dei feceris, te non ſanctificabit, non ſalvabit. Vides igitur, quòd ſola prævaricatio mandatorum Dei, & Ss. Regulæ ſeparet hanc unam neceſſariam ad ſalutem unionem.

## PUNCTUM TERTIUM.

VErbum caro factum eſt, & ingrediens in mundum dicit: hoſtiam & oblationem noluiſti; corpus autem aptâſti mihi. Tunc dixi;

dixi: ecce venio, ut faciam voluntatem tuam. Et quæ eſt iſta? ut pateretur, & moreretur. O quàm prompte ad omnem paſſionem ſe non offert, imo quanta ab inſtanti conceptionis ſuæ non patitur in utero Virginis? cogita ſi modo cum tali ratione deberes reverti in uterum matris, quantùm abhorreres, & quanta ibi pati deberes incommoda? Et tamen Chriſtus perfectiſſima ratione, imo omni perfectione animæ, & corporis, in primo inſtanti conceptionis ſuæ præditus non horruit Virginis uterum, omnia paſſus eſt? Nonne igitur & tu ad exemplum Verbi Incarnati in cunctis adverſis dices; ecce venio, ut faciam voluntatem tuam Deus? Ita præcipit tibi Verbum Incarnatum: tolle crucem tuam, & ſequere me. Ita hortatur Ss. Pater tuus, dum ait: *fiat voluntas illius in nobis*. Et cur non libenter cum Verbo Incarnato patereris ad voluntatem Patris? Omnia enim quæcunque, & à quocunque, & quomodocunque, excepto ſolo peccato, tibi accidunt, Dei nutu, imperioque ad ſalutem tuam accidunt. Dominus namque facit hæc omnia, nec eſt malum in civitate, quod non fecerit Dominus. Nullus reſpectu Dei caſus eſt. Nonne duo paſſeres væneunt dipondio, & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro? Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur. Unde & ſors cecidit ſuper Mathiam. O qui ita ad voluntatem Dei omnia adverſa ſuſciperet, conſtanti

pace,

pace, ac quiete frueretur, Deoque gratissimum holocaustum offerret! sed quid te separat ab hac unione cum voluntate Dei? Nunquid non impatientia tua? Cum verbum ullum in te dictum audis &c. Canes imitaris; hi enim, si quis in ipsos lapidem jecerit, jaciente dimisso, lapidem remordent: Ita & tu Deo relicto, qui tibi tribulationes ad peccatorum tuorum purgationem procurat, ad proximos, ad causas secundas curris. Verum resipisce, uni te cum voluntate Dei, verbum Incarnatum imitaberis, & cum gaudio tolles crucem tuam.

## PUNCTUM QUARTUM.

O Fili Dei vivi! O fili Mariæ Virginis? O amabilissime Redemptor, & Salvator meus? O verbum Incarnatum adoro te humillimè, laudo, & benedico te in æternum. O quàm magnas gratias tibi referre teneor, quòd è sinu Patris in sinum Virginis amore mei descenderis? Quid retribuam tibi pro gratia ista, quod me sordidum peccatorem respicias, & tua Ss. Incarnatione sanctifices, & salves? Nunquid magnum tibi dedero, si me totum tibi in servum tradidero; si fecero voluntatem tuam. Ah! dulcissime JEsu! non mea, sed tua voluntas fiat in æternum. Ecce! amore tui, O JEsu! relinquo omnem proprietatem voluntatis meæ. Non mea, sed tua voluntas fiat, amantissime JEsu! ecce! amore tui firmiter statuo, mandata tua,

& S. Regulæ observare, nec unquam ab iis declinare. Non mea, sed tua voluntas fiat, suavissime JEsu! ecce! amore tui resigno me tibi totum, suscipio de manu tua crucem, omnem passionem, mortem ipsam. Non mea, sed tua voluntas fiat, potentissime JEsu! ecce! jam dedi tibi, quod à me tam desideranter postulasti. Non enim ampliùs mihi, sed tibi unicè vivere statuo. Volo te sequi; volo adimplere voluntatem tuam, qui venisti in hunc mundum, non ut tuam, sed ut Patris tui faceres voluntatem. Ideo enim carnem assumpsisti, ut per te unirer voluntati Patris tui. *O Adonai, & Dux domus Israël, qui Moysi in igne flammæ rubi apparuisti, & ei in Sina legem dedisti: veni ad redimendum nos in brachio extento.* O Adonai, & Dux domus Israël duc me per semitas mandatorum tuorum, ut faciam voluntatem tuam. Ah! qui apparuisti in igne flammæ rubi, exure in me omnem proprietatem voluntatis meæ. Ah! qui dedisti legem in Sina; fac ut in omnibus me adversis tuæ sanctissimæ voluntati subjiciam. Veni! redime me in brachio extento à propria mea voluntate. An igitur, ô anima mea! unies te verbo Incarnato, ut omni rejecta voluntate propria facias voluntatem ejus? Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. An unies te Verbo Incarnato, ut per observantiam mandatorum Dei & S. Regulæ facias voluntatem ejus? Veni adimplere legem. An unies

te

te Verbo Incarnato, ut cum gaudio ſuſcipiens adverſa facias voluntatem ejus? Non quod ego volo, ſed quod tu. Dole igitur, quòd te Verbo Incarnato non unieris. Propone ejus voluntatem facere

1. Per abnegationem propriæ voluntatis,
2. Per adimpletionem Præceptorum Dei, & S. Regulæ,
3. Per patientiam in adverſis.



## DIES XIX.

# B. Virgo viſitat Eliſabeth.

### De eximia charitate B. Virginis erga cognatam ſuam Eliſabeth.

### Proximum diligere tanquam ſeipſum. Cap. 4. Inſtr. 2.

## PUNCTUM PRIMUM.

EXurgens Maria in diebus illis abiit in montana cum feſtinatione in civitatem Juda; & intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth. Tanta fuit B. Virginis, & Matris Dei erga cognatam ſuam charitas, charitatisque affectio, ut exurgeret, abiret in montana, feſtinaret in civitatem Juda ad congratulandum ei de mirabili ſuo conceptu. Vera

namque charitas tarda molimina nescit. Gaudet de alieno bono, sicut de suo. An imitaris hanc charitatem Virginis? *An proximum diligis tanquam teipsum*, ùt jubet Lex Dei, Regula Ss. Patris tui? Et quinam tibi cognatione proximiores sunt, quàm confratres tui? Omnes in Christo unum sumus. Quomodò igitur eos amas? Planè si dolentibus non compateris, si gaudentibus non congaudes, Virginem superbenedictam non imitaris, veram charitatem non possides. Hanc siquidem dum describit Apostolus, alia similitudine non utitur, quam corporis humani. Si quid, ait, patitur, unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.

## PUNCTUM SECUNDUM.

MAria salutavit Elisabeth. Non dedignata est Mater Dei prior salutare cognatam suam. Ex abundantia charitatis os ejus semper loquebatur sapientiam. Sciebat, charitatem nullo magis accendi, foveri, quam verbo amoris, & honoris. Nescit enim amor superbire. Unde Salomon protestatur: non confundar amicum salutare. Amor amicum honore prævenit, nec unquam de puncto honoris solicitus est. Amicus namque est alter ego. Inter amicos omnia paria sunt, & æqualia. Hinc & ipsa veritas dicit. Jam non dicam vos servos, sed amicos. Ideo etiam & Patrem suum, vocat Patrem eorum.

Mul-

Multum, ac permultum iſtud valet ad roborandam dilectionem, ſi alter alterum ſuperiorem æſtimat; amat ſervire ſubjectus, & gaudet Prælatus ſibi æquare ſubjectum. An ſequeris ergo Virginis exemplum? An ad mentem Ss. Patris hoc modo vere *diligis proximum tuum tanquam teipſum?* An honorificè illum alloqueris,& de ipſo loqueris? Verbum dulce multiplicat amicos.

## PUNCTUM TERTIUM.

MAria intravit domum Zachariæ, ut Domina ſerviret ancillæ. Vera equidem charitas non contentatur ſolo dilectionis affectu,aut verbo; ſed opere exhibet dilectionem. Ita hortatur dilectus Domini diſcipulus Joannes: Filioli! non diligamus ſolum lingua, aut verbo; ſed opere & veritate. Alter alterius proinde onera portare ſtudeat, qui vult vere proximum diligere tanquam ſeipſum. Alter alteri charitatis officia exhibere ſatagat, qui vult charitatem fraternitatis caſto impendere amore. Fiet & hoc; ſi frater non fratri, ſed Chriſto in fratre ſerviat. Et ſi frater, cui ſervitur, ſervitium à fratre accipit ut ſervus ab Hero, ut Eliſabeth à Maria: unde mihi hoc, ut veniat Mater Domini mei ad me. Hoc ſiquidem modo charitatis opera miro modo dulcorantur, & ex dulcore multiplicantur. An ita imitaris Virginem Benedictam, ejusque Sanctiſſimam cognatam? An juxta monitum Ss. Patris


tris tui ſic verè *diligis proximum tuum ſicut teipſum?*

## PUNCTUM QUARTUM.

O Virgo, & Mater! unde tanta tibi charitas? Ignem æternæ charitatis in ſinu tuo geſtas. Et quid mirum, quod tantum incendium dilectionis evapores? Quid mirum, quod tanto charitatis affectu flagres, honorem tuum non cures, ſed Domina famulam ſalutes, Mater Dei, Matri Præcurſoris inſervias? O Verbum Incarnatum! O Salvator meus, qui veniſti ignem mittere in terras, qui aliud non vis, quam ut accendatur! eja! unam ſcintillam de iſto divino igne immitte in cor meum! ah! hucusque totus frigidus in amore fui. Uſque modò nemo potuit cognoſcere; quia diſcipulus tuus ſum; quia nemo potuit in me invenire dilectionem proximi. O unica ſalus, & vita animæ meæ tua ſancta charitate vivifica me! *O Radix Jeſſe, qui ſtas in ſignum populorum, ſuper quem continebunt Reges os ſuum, quem gentes deprecabuntur: veni ad liberandum nos, jam noli tardare!* O Radix Jeſſe, utinam germinares in me fructus charitatis? O qui ſtas in ſignum populorum electorum, utinam & ego ex dilectione tua agnoſcerer unus de electis tuis! O Rex divini amoris, ſuper quem Reges præ dulcedine charitatis os ſuum continent, utinam ego vel unam guttulam hujus cœleſtis conſolationis de-

degustare possem! O Domine Dominantium, quem gentes deprecantur, ah! veni per omnium gentium desideria, & suspiria! veni ad liberandum me de morte, in qua tamdiu sine charitate mansi. Ah! noli tardare, ut resuscites me! O Virgo, & Mater spira, & inspira mihi hunc spiritum charitatis, quem de amantissimo corde Verbi Incarnati trahis, & vivam! nunquid ergo, O anima mea! omni cordis affectione amabis proximum tuum? Omne animal diligit simile sibi, sic & omnis homo proximum sibi. Nunquid verbis honorificis, & amorosis amorem proximo tuo contestaberis? Verbum bonum super datum optimum. Nunquid opere proximum tuum amabis? Sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere. Dole, quod amorem Matris Dei non secutus fueris. Propone imitari,

1. Ut affectione cordis,
2. Verbis honorificis, & amorosis,
3. Opere diligas proximos tuos.



## DIES XX.

### Verbum Incarnatum sanctificat Præcursorem suum.

Quanto odio Salvator peccatum prosequatur. Oderit vitia. Cap. 44. v. 14.

## PUNCTUM PRIMUM.

ET factum est,ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus. Verbum incarnatum per verbum Matris sanctificavit omnium primum Joannem Præcursorem suum. Tanto videlicet odio prosequitur Salvator peccatum ut nullas moras nectere voluerit, sed fortiter impulerit Matrem suam, quatenus festinaret ad liberandum Præcursorem suum à peccato originali. Solus quippe Salvator perfectè agnoscit malitiam peccati, qui ideo in mundum venit,ut nos mundaret ab ea in sanguine suo. Peccatum enim infinitam offensam Dei continet. Tam grande malum est, ut Deus propter unum originale totum genus humanum morti temporali, & æternali addixerit. Tam grande malum est, ut peccatorem tradat in potestatem Sathanæ infensissimi inimici sui. Tam grande malum est,ut ob infinitatem offensæ infinitò valore Incarnationis, & passionis aboleri debuerit. Meritò igitur infinito odio illud prosequitur Verbum Incarnatum. Meritò properat ad sanctificandum Præcursorem suum. Meritò gaudet, & exultat iste in utero, quod à tanto malo liberatus fuerit. Sed nunquid & tu ad mentem Ss. Patris tui *oderis vitia?*

## PUNCTUM SECUNDUM.

ECce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis exultavit in gaudio infans

fans in utero meo. O immenſum Verbi Incarnati odium erga peccatum! vix conceptum eſt, iter ſuſcipit, ut munus deſtructoris peccati erga Joannem exerceat. Solùm quippe comprehendit infinitam ejus malitiam. Comprehendit immenſam bonitatem &c. In quam inſurgeret peccatum. Comprehendit vilitatem, quæ offenderet infinitam Majeſtatem. Hinc noluit Præcurſorem ſuum diutiùs inimicum Dei Patris ſui eſſe, qui amicus ſponſi fieri deberet. Noluit illum in tenebris ignorantiæ, & in obſcuritate intellectus permanere, qui lucem, quæ illuminat omnem hominem, annunciare deberet. Exulta igitur, ô Præcurſor Sanctiſſime! conteſtare gaudium tuum, quo modo meliori potes. Dignus planè eſt omni gratitudinis conteſtatione, qui à tanto te malo liberavit. Sed nunquid & tu tandem cum Verbo Incarnato *oderis vitia?*

## PUNCTUM TERTIUM.

UNde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Ne mireris, ô ſanctiſſima cognata Matris Dei; quod in utero gerit Verbum Incarnatum, hoc Matrem ſuam excitavit, ut veniret ad te, ut per Filium ſuum ſanctificaret filium tuum. Infinito enim odio odit peccatum. Præſcit, imo jam ſentit dolores, quos per omnem vitam, & mortem ſuam paſſurus eſt, ut peccatores Deo per ſanguinem ſuum reconciliet. Scit æſti-

mare

mare pretium, quo redimi debent. Agnoſcit, quo diutius peccatum regnet in peccatore, eo infirmiorem ejus voluntatem fieri ad reſiſtendum peccato. Hinc non vult illum ſub jugo peccati diu detineri, qui pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum prædicare deberet. Exulta, ô Joannes, exulta Præcurſor Domini! tuo gaudio & nobis prædica magnitudinem peccati, de quo te tam mirabiliter liberatum gaudes. Sed nonne & tu piam adhortationem Ss. Patris tui ſequeris? Nunquid imitaberis Verbum Incarnatum, & *oderis vitia?*

## PUNCTUM QUARTUM.

O Verbum Incarnatum! ſiccinè jam in utero Matris zelus domus tuæ comedit te, ut mox feſtinares ad redimendum Præcurſorem tuum à ſervitute peccati? O lux vera, quæ illuminas ſedentem in tenebris! ſiccinè odiſti peccatum, ut odium hoc tuum præ omnibus aliis virtutibus tuis ſigno externo, exultatione videlicet mirifica Præcurſoris tui mundo manifeſtare velis. Et cur non odiſſes? Peccatum quoque fatali odio te perſequitur? Quot enim preſſuras, & anguſtias cordi tuo adhuc ſub corde Virgineæ Matris ſuæ latenti cauſat? O me cœcum, miſerum, & miſerabilem homuncionem, qui adhuc dum non odi odio perfecto inimicum tuum, & meum? Qui toties ab eo turpiſſimè deceptus, & vita ſpoliatus ſupernaturali, tamen

men adhuc ab eo decipi, & mortificari gaudeo? O Verbum Incarnatum! ecce & hic miſerrimum peccatorem habes, quem non ſolum ùt Joannem ab uno, ſed ab innumeris liberes peccatis! O vita animæ meæ! O lux vera mentis meæ! O fortitudo animi mei! vivifica, illumina, & conforta me, ut pari deinceps odio proſequar peccatum. Agnoſco, ſed ſerò ah! agnoſco, quàm malum ſit, & amarum offendere te! *O clavis David, & ſceptrum domus Iſrael, qui aperis, & nemo claudit; claudis, & nemo aperit: veni & educ vinctum de domo carceris, ſedentem in tenebris, & umbra mortis.* O Virgo Mater veni ad me, loquere de verbo, & per Verbum tuum Incarnatum ad me, exaltabo & ego in ſalutari tuo, & perſequar inimicos meos; donec deficiant! an igitur, ô anima mea, oderis peccatum! quia infinita offenſa Dei eſt? ecce! Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. An oderis peccatum; quia intellectum ignorantia & erroribus obſcurat? Ecce! oſtendit ſuper nos divitias gratiæ ſuæ. An oderis peccatum; quia voluntatem debilem reddit, ac infirmam? Ecce! lex ſpiritus vitæ, liberat à lege peccati, & mortis. Dole, quod cum Verbo Incarnato hucusque peccatum non oderis. Propone illud omni, quo potes, odio perſequi

1. Quia infinita offenſa Dei eſt;
2. Quia intellectum obſcurat;

3. Quia

3. Quia voluntatem debilitat, & animam enecat.



## DIES XXI.

## IN FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

### De Prærogativis Fidei.

Succinctis fide lumbis noſtris per ducatum Evangelii pergamus. Prolog. §. 3. v. 18.

### PUNCTUM PRIMUM.

OB tres cauſas nobis commendat Ss. Pater noſter fidem, dum dicit: *ſuccinctis fide, vel obſervantia bonorum actuum lumbis noſtris perducatum Evangelii pergamus itinera ejus.* Prima eſt; quia intellectum ſanctificat. Hinc vult, ut *ſuccingamus lumbos noſtros fide.* Sunt quippe teſte Apoſtolorum vertice Petro & lumbi mentis. Hos igitur fides ſanctificat; quando intellectum dominio Dei immolat, Dei gloriæ conſecrat, Dei ſapientiæ conjungit. Hos fides ſanctificat; quando intellectum lumine divinæ veritatis illuſtrat, ut infallibiliter verbo Dei revelato absque ulla hæſitatione aſſentiatur. Hos fides ſanctificat; quando intellectum per ſenſus exteriores, neque per rationem naturalem, ſed

per

per ſuas æternas veritates quaslibet res facit diſcernere. En! S. Thomas, antequam Chriſtus ei apparuit, ſolum naturali ſuæ rationi innixus, & incredulus erat; at vix illi veritas apparuit, credidit, & exclamavit Dominus meus, & Deus meus! ſanctificavit fides intellectum ejus. O Religioſe! fulgetne hiſce ſanctitatis radiis intellectus tuus? In tenebris eſt, & errat, ſi hoc in lumine non ambulat.

## PUNCTUM SECUNDUM.

ALtera cauſa eſt; quia fides voluntatem movet, ad obſervantiam mandatorum Dei. Hinc Ss. Pater vult, ut *fide pergamus per ducatum Evangelii.* Sanè nullum præceptum in Evangelio tam grave eſt, cujus executionem voluntas non amplectatur; dummodo viva fide credat à Deo præſcriptum eſſe. Quomodo auſit illi reſiſtere, qui poteſtatem habet corpus, & animam perdere in gehennam ignis? Quomodo non libenter omnia præcepta Dei factis impleat, qui diligentibus ſe vitam promittit æternam? En! ſanctus Thomas ad Indos usque peragrat, verbum Dei ubique promulgat, nullum laborem abhorret, ut præcepto Magiſtri ſui de prædicatione Evangelii ſatisfaciat. Profecto tepiditatis noſtræ in exequendis mandatis Dei origo alia non eſt, quam languor fidei noſtræ. Et quod ex quotidiano auditu Evangelii, lectione, & meditatione verbi Dei non emendemur, in cauſa eſt; quia fidem vivam divi-

næ

næ veritati non adhibemus. Crede, & non ſolum voluntas tua, ſed etiam operatio tua erit in mandatis Dei.

## PUNCTUM TERTIUM.

TErtia cauſa eſt; quia fides cor virtutibus exornat. Hinc Ss. Pater vult,ut *fide, vel obſervantia bonorum actuum lumbos noſtros ſuccingamus.* Fides equidem nos continet in humilitate, cum parvulis duntaxat introitum in Regnum cœlorum promittit. Fides nos ipſos abnegare facit, cum mortificatos ſolum in ſcholam JEſu recipit. Fides nos mites reddit, ac patientes; cum patientiæ opus perfectum tantum adſcribit. Fides nos miſericordes facit,cum miſericordibus miſericordiam adſtipulatur. Fides nos mundi cordes reddit, cum mundis corde viſionem Dei repromittit. Nullum Conſilium Evangelicum reperies, quod cor non exequi deſideret, ſi fide viva præditum ſit. En omnes virtutes iſtas in S. Thoma, ita ut infideles gentes ad ſui admirationem, & amorem JEſu commoveret. Tantum demum in virtutibus fides ejus crevit,ut Calaminæ pro eadem telis confodi non metueret. O quantum eſt donum fides, quæ cor tot virtutibus ornat, quibus precibus à Deo non ſemper petenda eſt, ſine cujus munere illam habere non poſſumus.

Pun-

## PUNCTUM QUARTUM.

AN igitur, ô Religiose! fide sanctificas intellectum tuum? Desponsabo me tibi in fide, & scies, quia ego sum Dominus. An fide voluntatem tuam ad observantiam legis moves? Nonne anima mea subjecta eris Deo tuo? An per fidem cor tuum virtutibus ornas? Abraham credidit Deo, & reputatum est ei ad justitiam. Dole, quod hisce fidei prærogativis usus non sis. Propone cum S. Thoma

1. Fide intellectum sanctificare.
2. Voluntatem ad observantiam legis movere.
3. Cor virtutibus exornare.



## DIES XXII.

# B. Virgo intonat Canticum Magnificat.

## De gratitudine B. Virginis pro beneficio Incarnationis.

Bonum aliquid in se cum viderit, Deo applicet non sibi. Cap. 4. Instr. 42.

## PUNCTUM PRIMUM.

ET ait Maria: Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo

ſalutari meo. Hiſce verbis primo dona ſibi ſpecialiter conceſſa per Incarnationem conſitetur; deinde generalia Incarnationis beneficia, quibus humano generi in æternum conſulere non deſiſtit, grata mente enumerat. Ejus autem anima Dominum magnificat, & omnes interioris hominis ſui affectus divinis laudibus conſecrat. Ejus ſpiritus in Deo ſalutari ſuo exultat, & eam ſola illius, à quo omnis ſalus ſperatur, memoria delectat. O quis hic gratam Virginis Matris affectionem erga Verbum Incarnatum cogitare poteſt, quæ corporali illius conceptione gaudebat, & perpetuum ſalutis Auctorem de carne ſua naſciturum eſſe ſciebat? Imitare eam, ô Religioſa anima! quando canis dulciſſimum iſtud Canticum, ut ſaltem aliquo modo grata ſis pro immenſo Incarnationis beneficio, atque ſatisfacias Ss. Patris tui præcepto: *bonum aliquid in ſe cum viderit, Deo applicet, non ſibi.* Ab Incarnatione Domini omne tibi bonum profluxit.

## PUNCTUM SECUNDUM.

Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Hiſce ſuperbenedicta Virgo, & Mater Dei teſtatur, quàm vilia de ſe ipſa ſentiat, & quod omne, quicquid boni meriti habet, hoc ſupernæ gratiæ adſcribat. Humilem quippe Chriſti ancillam ſuo judicio ſe fuiſſe demonſtrat; ſed reſpectu gratiæ cœ-

leſtis

leſtis repentè ſublimatam ſe pronunciat, atque in tantum glorificatam, ut ſua beatitudo præcipua merito cunctarum gentium voce miretur. Addit etiam adhuc divinæ pietatis munera, quæ mirabiliter accepit, & digna gratiarum actione ſummum ſuum Benefactorem collaudat. Imitare eam, ô Religioſa anima! ad canticum magnificat, atque humiliter juxta præſcriptum Regulæ, *bonum aliquid in te cum videris, Deo applica, non tibi*; & ſic digna eris ſemper novas gratias recipere. Etenim gratiarum actio, eſt nova petitio.

## PUNCTUM TERTIUM.

Quia fecit mihi magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus. Nil his verbis ſuis meritis tribuit, ſed totam magnitudinem ſuam ad illius donum refert, qui eſſentialiter potens, & magnus exiſtit. Hic quippe fideles ſuos de parvis, & infirmis fortes facit, & magnos; eſurientes juſtitiam replet bonis gratiæ; timentibus ſe miſericordiam impendit; atque humiles exaltat. Solum ſuperbos deponit, & qui divitiis terrenis inhiant, relinquit gratiis ſuis inanes. Bene autem laudat B. Virgo ſanctum nomen ejus; quoniam & ipſa per hoc nomen omnes gratias acceperit: Iſraël ſalvatorem ſuum juxta promiſſum Abrahæ, & ſemini ejus factum ſuſceperit, & omnes credentes ſanctitatis, & ſalutis participes futuri ſint juxta illud Pro-

pheticum : omnis quicunque invocaverit nomen Domini ſalvus erit. Imitare Virginem, & Matrem Dei, ſanctiſſimo Nomini Domini *bonum aliquid in te cùm videris, applica, non tibi;* ſic tandem & tu per ipſum ſalvus fies.

## PUNCTUM QUARTUM.

O Verbum Incarnatum! & anima mea magnificat te Dominum meum. Exultat in ſalutari tuo Spiritus meus. Quidquid enim boni ſive in anima, ſive in corpore habeo, à te accepi, per te poſſideo. O quàm in immenſum tibi obligor, ô Fons omnium bonorum meorum! quia reſpexiſti humilitatem animæ meæ. Ego enim vilis, ac ſordidus peccator nullam gratiam promeritus ſum, & tamen innumeris me beneficiis cumulâſti. Ego ingratiſſimus homo nullam amplius gratiam propter meam ingratitudinem ſperare audeo, & tamen novas, & novas de hora in horam à te accipio. Sanctificetur igitur millies, & millies, ô Verbum Incarnatum, nomen tuum! laudent illud cœlum, & terra, à quo, & per quod, & in quo omnem ſalutem accepi! magnificet, & ſanctificet nomen tuum pro me Virgo Mater tua; quia dignas tibi gratiarum actiones reddere ego nequaquam valeo. Saltem pro gratiarum actione opto, ut ſingula ſuſpiria cordis mei, & omnes motus animæ, & corporis mei laudem tuam reſonent: laudetur

mil-

millies sanctissimum Incarnationis & Nominis tui Mysterium! tu tantùm, *ô Oriens, splendor lucis æternæ, & sol justitiæ: veni & illumina sedentes in tenebris, & umbra mortis*, ut omnes agnoscamus te salutis nostræ Auctorem, & cum perpetua gratiarum actione collaudemus. An igitur, ô anima mea! cum Beatissima Virgine Maria intimo gratitudinis affectu recoles beneficia Dei? Gratias agere debemus semper Deo. An humilitatem, & indignitatem tuam ad beneficia Divina recognosces? Quid est homo, quòd memor es ejus? An sanctissimo Nomini Domini salutem tuam adscribes? Non nobis Domine! non nobis: sed nomini tuo da gloriam. Dole, quòd hucusque Verbo Incarnato tam ingratus extiteris. Propone cum B. Virgine, & Matre Dei

1. Intimo gratitudinis affectu beneficia divina recolere,
2. Indignitatem tuam ad eadem recognoscere,
3. Salutem tuam Nomini Domini in acceptis referre.



DIES XXIII.

## S. Joseph Virgineus Sponsus Matris Dei de Mysterio Incarnationis instruitur.

Quòd S. Joſeph indignum ſe judicaverit, ut cohabitaret Virgineæ Sponſæ ſuæ.

Omnibus ſe inferiorem, & viliorem intimo cordis credat affectu. Cap. 7. gr. 7. v. 64.

## PUNCTUM PRIMUM.

Cum eſſet deſponſata Mater JEſu Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto. Joſeph autem vir ejus, cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere: voluit occultè dimittere eam. Quare voluit dimittere eam? Accipe non meam, ſed optimarum aliarum mentium meditationem: propter hoc Joſeph voluit dimittere eam, propter quod & Petrus Dominum à ſe repellebat, dicens; exi à me, Domine; quia homo peccator ſum: propter quod & centurio à domo ſua eum prohibeat, cùm diceret: Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum. Ita ergo & Joſeph indignum, & peccatorem ſe reputans dicebat intra ſe, à tali, & à tanta non debere ſibi ultrà familiare præſtari contubernium, cujus ſupra ſe mirabilem expaveſcebat dignitatem. Admiraris hujus ſancti humilitatem; ſed magis mirare, quòd tu, cùm ita vilis, & abjectus in peccatis ſis, in ſchola humilitatis nondum didiceris ſeptimum humilitatis gradum: *omnibus ſe inferiorem, & viliorem intimo cordis credat affectu.* Neſcis pla-

plane quis sit, aut futurus sit Confrater tuus; bene vero scis, qualis tu ob peccata es. Cur ergo non omnibus te viliorem credas?

## PUNCTUM SECUNDUM.

VOluit occulte dimittere eam. Videbat nimirum Joseph, & horrebat Mariam Divinæ præsentiæ certissimum gestantem insigne: & quia mysterium penetrare non poterat, volebat occulte dimittere eam. Miraris, quòd Joseph prægnantis sese consortio Virginis judicabat indignum, cùm audias, & sanctam Elisabeth ejus non posse ferre præsentiam, nisi cum tremore quodam & reverentia? Ait namque; unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Ideo itaque Joseph voluit occulte dimittere eam. Indignum se æstimavit, qui tantæ Virginis frueretur consortio. Expavit Divinæ potentiæ magnitudinem; expavit Divinæ præsentiæ Majestatem. Exhorruit miraculi novitatem, mysterii profunditatem. O qui ad exemplum hujus sancti in Confratre gratias Divinæ potentiæ duntaxat respiceret, quam libenter *se omnibus inferiorem, & viliorem intimo cordis crederet affectu?*

## PUNCTUM TERTIUM.

HÆc autem eo cogitante, ecce! Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens; Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea na-


tum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Exurgens autem Joſeph à ſomno, fecit, ſicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem ſuam. Vide, quantas gratias per hanc humilitatem promeruerit S. Joſeph. Ab Angelo de myſterio Incarnationis meruit inſtrui; putari meruit Pater JEſu; meruit rurſus accipere conjugem ſuam, etiam Deo homine gravidam; meruit conſcius fieri cœleſtium ſacramentorum; meruit fidelis ſervus & prudens conſtitui ſuper familiam Domini ſui, ſuæ Matris ſolatium, ſuæ carnis Nutritium; meruit ſolus denique in terris, magni conſilii coadjutor eſſe fideliſſimus. Ita Deus humiles exaltat. Sic erunt noviſſimi primi. Nunquid & tandem aliquando ad mentem Ss. Patris tui *te omnibus inferiorem, & viliorem intimo cordis affectu credes?*

PUNCTUM QUARTUM.

AH! quando tandem, ô Verbum Incarnatum! diſcam humilitatem? Tu, ô Deus potentiſſime, Majeſtas interminabilis, excellentia infinita! doces me humilitatem, quandoquidem nihilum naturæ meæ aſſumpſiſti. Humilitatem docet me Mater tua, quæ ancillam humilem ſe profitetur. Humilitatem docet me Nutritius tuus, qui præ humilitate non audet Virgineæ ſuæ Sponſæ cohabitare. Et tamen humilis, & vilis videri recuſo. Sed quid ſuperbio terra, & cinis? Cur me moveo canis mortuus, vermis, & non homo? Quare me aliis præfero, qui totus

tus in peccatis natus, & educatus ſum? O ſi me recte inſpicerem? ô ſi peccata mea ante oculos meos ſtatuerem! ô ſi peccata confratrum poſt dorſum projicerem, & eorum recte facta coram ſolum attenderem, nonne infra omnes me humiliarem? Nonne eorum conſortio me penitus indignum æſtimarem? Nonne viliſſimum me toto cordis affectu & crederem, & infimus tractari vellem? Eja igitur, anima mea! humilia te, pulveriza, ut omnes ſuper te gradi poſſint. Non agnoſces myſterium Incarnationis, non recipies gratiam Incarnationis, non gloriaberis in Verbo Incarnato, niſi te omnium minimam reputaveris. *O Rex gentium, & deſideratus earum, lapiſque angularis, qui facis utraque unum, veni: & ſalva hominem, quem de limo formâſti*, ne amplius ſuperbiat terra, & cinis. An non igitur, ô anima mea! te omnium infimam credes ad exemplum S. Joſephi ob peccata tua? Ego ſum minimus. An non te omnium viliſſimam credes ob aliorum probitatem? In humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes. An non te omnium infimam credes, ut gratiam Incarnationis accipias? Qui inclinaverit oculos, ipſe ſalvabitur. Dole, quòd humilitatem S. Joſephi non ſectatus fueris. Propone omnium te infimum credere

1. Ob peccata tua,
2. Ob probitatem Confratrum,
3. Ad obtinendam gratiam Incarnationis.



# DIES XXIV.

## In Vigilia Nativitatis Domini.

S. Joſeph cum Maria prægnante in civitatem ſuam Bethlehem proficiſcitur.

## De Obedientia Verbi Incarnati.

In ipſa Obedientia patientiam amplectatur. Cap. 7. gr. 4. v. 36.

## PUNCTUM PRIMUM.

FActum eſt autem in diebus illis, exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis. Aſcendit autem & Joſeph à Galilæa de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem; eoquod eſſet de domo, & familia David, ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante. Sic Verbum Incarnatum adhuc ſub utero deliteſcens voluit obedire Principi terreno, ſuperbo, & avaro, ut tu ad mentem Ss. Patris tui *in ipſa obedientia patientiam amplecti*, & Superiori diſcolo obedire non detrectares. Qualis enim ſit Superior, ſive bonus, ſive malus, ſive amicus, ſive inimicus, obediendum ei eſt. Ex quo motivo ſive bono, ſive malo, ſive ex amore, ſive ex odio præcipiat, obediendum ei eſt, quamdiu peccatum illud, quod

quod præcipit, non eſt. Non eſt enim alius Superior, quàm is, qui perſonam Dei ſuſtinet. Quemadmodum igitur Deo, ita & ipſi obtemperandum eſt. Et ſicut paſtori ſuo, quomodocunque veſtitus ſit, oves obtemperant, & viam quamcunque ille vult, ingrediuntur; licet ipſe alia via incedat: ita, qui ex Deo pietatis cultores ſunt, moderatoribus ſuis obſequi debent, licet ipſi peccatores ſint,& latam viam incedant; dummodo anguſtam viam doceant. Quid enim refert, utrùm tibi aſinus, an Angelus aliquis voluntatem Dei indicet? Quid intereſt, utrùm bonus, vel malus ſit, qui tibi viam oſtendit, ſi tamen viæ terminum attingas? Sequere igitur Verbum Incarnatum, & Divinæ voluntati in imperio Superioris etiam diſcoli obtempera.

## PUNCTUM SECUNDUM.

FActum eſt autem in diebus illis, exiit edictum. Aſcendit Joſeph in civitatem David, ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante. Ita voluit Verbum Incarnatum in illis diebus videlicet tempore hyemis, inſtantis partûs ſui, Imperio Auguſti, quod in his circumſtantiis omnino injuſtum videbatur ſubmiſſe obedire, ut tu juxta monitum Ss. Patris tui diſceres *in ipſa obedientia patientiam amplecti*, & judicium tuum humiliter judicio Superioris ſubjicere. Nihil enim de Superiorum juſſis perſcrutari debe-

debemus, quamdiu libera ſunt à peccato. Deum judicat, qui Superiorem dijudicat. Sicut enim faber ſingulis artis inſtrumentis pro arbitrio utitur ſuo, neque unquam illud inventum eſt inſtrumentum, quod ad quemcunque illeuſum voluiſſet, non ſe facile tractandum præbuerit; ita convenit ſubditum in omnibus rebus, in quibus Superior judicat, ad complendam ſpiritualem fabricam parere, ne ſi id facere recuſaverit, impedimento ſit, quominus ſpirituale opus compleatur. Et ut inſtrumentum opus ſibi ipſi non deligit, ad quod uſurpandum ſit, ſic ſubditus gubernationem ſui Superioris prudentiæ, & conſilio debet concedere. Et quidem eò libentius, quo proprium judicium amore proprio infectum ſemper à vero judicio aberrat. Sequere igitur Verbum Incarnatum, quod edicto injuſto ſe ſubmittit, nihil diſcute, quod tibi præceptum eſt, omnia age, niſi præcepta aperte ſint in ſe peccaminoſa.

## PUNCTUM TERTIUM.

Aſcendit Joſeph, ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante. Factum eſt autem, cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies, ut pareret. Et peperit filium ſuum primogenitum, & reclinavit eum in præſepio; quia non erat eis locus in diverſorio. Hoc modo Verbum Incarnatum iter in utero Virginali inſtituit, juſſisque Imperatoris

toris obedit, licet prævideat, partum ſuum in ſtabulo inter totincommoda futurum eſſe, ut tu *in ipſa obedientia patientiam amplecti*, & dura quævis imperia exequi non metueres. Eò enim obedientia eſt Deo acceptior, quò durior eſt. Eò obedientia purior eſt, quò à propria voluntate per ignem adverſitatis decoctior eſt. Hoc bene intellexit magnus ille Abraham, qui Filium ſuum S. obedientiæ ſacrificare non exhorruit. Et quantum inde Deo non placuit? Pater credentium factus eſt. Hoc non ignorârunt S. Apoſtoli, qui ad imperium Chriſti inter perſecutiones, & mortes Evangelium prædicarunt. Et quantum inde promeriti ſunt præmium? Principes cœli, & terræ conſtituti ſunt. Hæc ergo obedientia in duris, & contrariis rebus eſt via, per quam itur ad Deum. Hæc crux eſt Monachi, quam tollere tenetur, & Chriſtum ſequi. Hæc patientia eſt, quam cum Chriſto pati oportet Religioſum, & ita intrare in gloriam ſuam. Sequere ideo Verbum Incarnatum, dura, & aſpera imperia patienter exequere!

## PUNCTUM QUARTUM.

Quis poterit unquam, ô Verbum Incarnatum! comprehendere conſilia ſapientiæ tuæ? Magnifico, & exalto te in æternum. Utinam digne poſſem adorare te, quantum mereris, ô Salus animæ meæ! tu enim te ſubdis, tu obtemperas Principi terreno,

reno, superbo, avaro; & ego Superioribus probis obedire recuso. Tu obedis in iis circumstantiis, ubi imperium irrationabile, injustum, & intolerabile est; & ego salutaribus, justis, ac rectis præceptis obtemperare detrecto. Tu obedis in re molestissima, incommoda, & undequaque te indigna; & ego subinde ex mera malitia etiam commodam obedientiam implere renuo. Ah! quousque devenit superbia mea? Quamdiu humilitatem, & obedientiam tuam spernam, & contemnam? Frustra ergo, ô Verbum Incarnatum! pro me carnem assumpseris? Frustra mihi exemplum obedientiæ in carne mortali demonstraveris? O piissime Domine! Absit hæc ingratitudo immanissima à me! te unice sequi opto. Ad tuum exemplum obedire desidero. *O Emmanuel, Rex & Legifer noster, exspectatio gentium, & Salvator earum; veni ad salvandum nos, Domine Deus noster!* ô Rex obedientium regna super me! ô Legifer meus! tuam voluntatem in voluntate Superioris semper adimplebo! ô exspectatio gentium! te exspecto, libera me à dura cervice, libera me à propria voluntate, & judicio, libera me ab inobedientia, quam à primis parentibus meis hæreditavi. An igitur, ô anima mea! obedies ad exemplum Verbi Incarnati Superiori etiam discolo? Qui vos audit, me audit. An obedies judicium tuum judicio Superioris in omnibus licitis submittendo? Qui vos spernit, me

me ſpernit. An obedies Superiori in rebus duris, & contrariis? Non veni facere voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me, Patris. Dole, quòd tam illuſtre Verbi Incarnati exemplum in obedientia contempſeris. Propone

1. Superiori Diſcolo,
2. Judicio tuo mortificato,
3. In rebus duris obedire.



## DIES XXV.

## IN GRATIOSA NATIVITATE D. N. J. CHRISTI.

### De Imitatione Neonati Salvatoris.

Sequatur Chriſtum. Cap. 4. Inſtr. 10.

### PUNCTUM PRIMUM.

FActum eſt autem, cum eſſent ibi, impletum eſt tempus, ut pareret. Ecce! quomodo Deus Pater Verbum fecit abbreviatum. Vis nôſſe, quàm longum, quàm breve fecit? Cœlum (inquit hoc Verbum) & terram ego impleo. Nunc caro factum de intemerato Virginis utero ſine læſione Virginalis integritatis procedens in anguſto locatur præſepio. A ſæculo, ait Propheta, & in ſæculo tu es Deus: & ecce! factus eſt infans diei unius. Ad quid hoc, aut quæ neceſſitas fuit, ut ſic exinaniret ſe, ſic humi-

miliaret ſe, ſic abbreviaret ſe Dominus Majeſtatis, niſi ut nos ſimiliter faciamus? Jam clamat exemplo, quod poſtmodum prædicaturus eſt verbo: diſcite à me; quia mitis ſum, & humilis corde: ut verax inveniatur, qui dicit: cœpit JEſus facere, & docere. Non patiamur proinde ſine cauſa tam pretioſum exemplar nobis exhibitum eſſe, ſed conformemur illi, ad mentem Ss. Patris, *ſequamur Chriſtum*, & renovemur Spiritu mentis noſtræ. Studeamus humilitati, quæ fundamentum eſt, cuſtosque virtutum. Sectemur illam, quæ ſola poteſt ſalvare animas noſtras. Quid enim magìs indignum, quid deteſtandum amplius, quid gravius puniendum, quàm ut videns Deum cœli parvulum factum, ultrà apponat homo magnificare ſe ſuper terram? Intolerabilis impudentiæ eſt, ut ubi ſeſe exinanivit Majeſtas, vermiculus infletur, & intumeſcat. O JEſu parvule! ô JEſule humillime! ô JEſule ſuaviſſime! adoro te; gratias tibi ago, quòd ita te amore mei exinanire dignatus es. O quàm amabilis es mihi; dum ita parvulum, & mitem te conſpicio, Magne Deus, Summe Deus, Deus immenſe! in manus meas te recipio, nec dimittam te; donec benedixeris mihi, ut & ego unus ex parvulis illis fiam, quorum eſt regnum cœlorum.

PUNCTUM SECUNDUM.

ET pannis eum involvit. Conſidera circumſtantias hujus Nativitatis, ut *ſequa-*

*ris*

*vis Christum.* Pro te enim faciunt, tibi apponuntur, tibi proponuntur ad imitationem. Hyeme natus est. Nunquid credis casu factum, ut in tanta aëris inclementia, in tenebris, in aperto stabulo nasceretur, cujus est hyems, & æstas, dies & nox, cœlum & terra? Non eligunt cæteri parvuli, quando nascantur; quippe quibus adhuc vix incipientibus vivere nullus subest rationis usus, nulla eligendi libertas, facultas nulla deliberandi. At Christus etsi homo erat, erat tamen in principio apud Deum, & Deus erat ejusdem, cujus nunc est, Sapientiæ, & potestatis, utpote Dei virtus, & Dei Sapientia. Nasciturus itaque Dei filius, (cujus in arbitrio erat, quodcunque vellet eligere tempus,) elegit quod molestius est, præsertim parvulo, & pauperis matris filio, quæ vix pannos haberet ad involvendum, præsepe ad reclinandum. Et cùm esset tanta necessitas, nullam audio pellium fieri mentionem. Primus Adam pelliceis vestitur tunicis, pannis secundus involvitur. Non est tale judicium mundi. Aut iste fallitur, aut mundus errat. Sed divinam falli Sapientiam impossibile est. Merito proin & carnalis prudentia, (mors siquidem & ipsa) inimica est Deo, & sæculi quoque prudentia stultitia nominatur. Quid enim? Christus qui utique non fallitur, elegit, quod carni molestius est. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum: & quisquis aliud docet

vel ſuadet, ab eo tanquam à ſeductore cavendum. O JEſule! ô amor animæ meæ! Amo te, laudo te, benedico te in æternum. Jam non quod carni meæ, ſed quod tibi placet, eligo. Te, ô parvule! ſequi volo omnibus diebus vitæ meæ, ut creſcam tecum ætate, & Sapientia.

## PUNCTUM TERTIUM.

ET reclinavit eum in præſepio. Quando? Nocte. Cur nocte? Nocte voluit naſci, ut damnaret oſtentationem mundi. Chriſtus elegit, quod ſalubrius judicat, tu eligis, quod reprobat ille. Quis prudentior è duobus. Cujus judicium juſtius? Cujus ſententia ſanior? Tacet Chriſtus, non ſe extollit, non prædicat, & ecce, annunciat eum Angelus, laudat multitudo cœleſtis exercitûs. Et tu ergo juxta monitum Ss. Patris tui, *Chriſtum ſequere*, inventum abſconde theſaurum. Ama neſciri, laudet te os alienum, ſileat tuum. Ubi naſcitur? In ſtabulo? Ubi reclinatur? In præſepio. Et nonne ipſe eſt, qui dicit: meus eſt orbis terræ, & plenitudo ejus! Quid ergo ſtabulum, quid præſepe elegit? Plane ut reprobet gloriam mundi, damnet ſæculi vanitatem. Necdum lingua loquitur, & quæcumque de eo ſunt, clamant, prædicant, evangelizant. O ſapientia, quæ de occultis traheris! ô verè Incarnata, & velata Sapientia! tu es promiſſus per Iſaiam parvulus, ſciens reprobare

ma-

malum, & eligere bonum. Sic ergo malum eſt voluptas corporis, bonum vero afflictio eſt. Sic malum eſt ſuperbia vitæ, bonum vero humilitas eſt. Siquidem & hanc eligis, & illam, reprobas puer ſapiens, verbum infans! ô Verbum Caro factum, caro infirma, caro infantilis, caro tenera, caro impotens omnis operis, omnis laboris impatiens! millies te exaltent, & magnificent pro me omnes Angeli, & ſancti Dei! te ſequi volo usque ad mortem.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religioſe! humilitatem JEſuli amplecteris? Qui ſe humiliat, exaltabitur. An cum JEſulo prudentiam carnis damnas? Abneget ſemetipſum. An cum JEſulo vanitatem mundi contemnis? Fugite mundum. Dole, quòd JEſulum parvulum ſecutus non fueris. Propone illum ſequi

1. In humilitate,
2. In Aſperitate vitæ,
3. In contemptu mundi.



## DIES XXVI.
## IN FESTO S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

### De vera S. Stephani dilectione erga inimicos ſuos.

Inimicos diligere. Cap. 4. Inſtr. 31.

## PUNCTUM PRIMUM.

STephanus plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & ſigna magna in populo. Surrexerunt autem quidam de Synagoga diſputantes cum Stephano, & non poterant reſiſtere ſapientiæ, & Spiritui, qui loquebatur. Redarguebantur enim ab eo cum omni fiducia. Et cur duros cervice, refractarios Spiritûs ſancti, incircumciſos corde, homicidas Salvatoris appellat? Plane non ex odio, ſed ex magna charitate, ut correpti ſe emendent, ac emendati ſalventur. Nonne hæc vera eſt dilectio inimicorum? Hi mortem ipſi machinabantur. Ipſe vitam illis offerebat. Nonne ipſe onus totum ipſorum portabat; quando onus peccatorum, maximè homicidii ab ipſis tollere, & amputare ſatagebat? Nonne omnem legem charitatis adimplebat; quando Magiſtrum charitatis ſecutus in lenitate, & manſuetudine Fratres ſuos corripiebat? Sequere igitur Protomartyrem, *dilige inimicos*, ut Ss. Pater tuus jubet, corripe ipſos, ut ſalves correctione fraterna animas eorum.

## PUNCTUM SECUNDUM.

ET lapidabant Stephanum invocantem, & dicentem: Domine JEſu accipe Spiritum meum: poſitis autem genibus exclamavit voce magna dicens: Domine! ne ſtatuas illis hoc peccatum. O maximam & ſinceram dilectio-

lectionem inimicorum orare pro ipſis! ne tu dicas, inimicum habeo ſceleſtum, corruptum, incorrigibilem; non eſt major illis, quos diligit, & pro quibus orat S. Stephanus. Nondum enim eripuit tibi vitam, quod faciunt Judæi illi. Orat tamen pro inimicis, avertit iram Dei ab eis; & tu ob levem injuriolam nonniſi magnam vindictam ſpiras; optas, ut à Deo caſtigetur inimicus tuus. Eſtne hoc *inimicum diligere*, quod præcipit Ss. Pater tuus? Eſtne hoc amare proximum ſicut ſemetipſum, quandoquidem ei facis, & optas, quod tibi ipſi fieri minimè velles? Quomodo remiſſionem peccatorum obtinebis, ſi non dimiſeris excorde inimico tuo? Quomodo aliquam à Deo gratiam per orationes tuas obtinebis, ſi non conſentias cum inimico tuo? Quomodo vita vives, ſi non diligas?

## PUNCTUM TERTIUM.

TEſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus. Nullum infenſiorem hoſtem habuit S. Stephanus, quàm Saulum iſtum, qui, ut in omnium manibus eſſet, & lapidaret, omnium veſtimenta ſervavit. Sed quam retributionem retulit ab amantiſſimo Stephano? Egregiam, & mirabilem converſionem, ut ex lupo in Agnum, ex perſecutore in Apoſtolum, ex vaſe reprobationis in vas electionis mutaretur. Omnes enim Patres iſtam S.

Pauli conversionem precibus B. Stephani adscribunt. Ita benefecit ei, qui oderat se. Meritò igitur vidit gloriam Dei, qui ita ùt Pater cœlestis perfectus fuit, qui solem suum facit oriri super bonos, & malos. Tu non videbis, nisi ipsius exemplum, & Ss. Patris tui monitum secutus *tuos inimicos similiter dilexeris.* Nemo enim in cœlum assumitur, nisi perfectus. Nil coinquinatum intrabit in Regnum cœlorum.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religiose! verè diligis inimicos tuos? Corripe illum inter te, & ipsum solùm, & salvabis animam ejus. An verè diligis inimicos tuos? Ora pro persequentibus te. An verè diligis inimicos tuos? Benefac his, qui oderunt te. Dole, quòd veram dilectionem inimicorum hucusque non habueris. Propone S. Stephanum imitari

1. Corripiendo in charitate, & mansuetudine inimicos tuos,
2. Orando pro ipsis,
3. Benefaciendo illis.



DIES XXVII.

IN FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

De præcipuo amore JEsu ergaS. Joañem.

Non unus plùs ametur, quàm alius; nisi quem in bonis actibus invenerit meliorem.

Cap. 2. v. 12. & 13.

Pun-

## PUNCTUM PRIMUM.

JEſus ſanctum Joannem præ cæteris Apoſtolis dilexit, quando ei in ultima cœna ſupra pectus ſuum requieſcere conceſſit. Meruit hunc ſpecialem amoris affectum ob ſpeciale ſtudium cognoſcendi Divinitatis, & Humanitatis myſteria. Ipſe hac de cauſa copioſius fluenta Evangelii de ipſo ſacro Dominici pectoris fonte potavit. Ipſe Divinitatem verbi nobis patefecit: in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Ipſe ante omnes Dominum in littore poſt Reſurrectionem ſuam ſtantem agnovit: Dominus eſt. An ſequeris JEſum? An imples illud Ss. Patris tui: *non unus plùs ametur, quàm alius; niſi quem in bonis actibus invenerit meliorem?* Plane ordinata charitas requirit, ut eò plùs proximum diligamus, quò plùs de bonitate Dei participat. Ordinata charitas requirit, ut eò amplius proximum diligamus, quò magis à Deo diligitur. Etenim proximum in Deo, & propter Deum diiigere oportet.

## PUNCTUM SECUNDUM.

JEſus præ cæteris Apoſtolis dilexit Joannem; unde in cruce illi propriam Matrem in ſuam Matrem dedit: ecce Mater tua. Meruit hanc amoris prærogativam, quia Virginitatem illibatam conſervavit. Debuit enim Virgo non alteri, quàm Virgini commendari. An ſequeris charitatem JEſu? An obſervas

illud Ss. Patris tui: *Non unus plus ametur, quàm alius, nisi quem in bonis actibus invenerit meliorem?* Si alia de causa plus diligis, personarum acceptor es. Nec parvi te rerum peccati existimes contra charitatem, si facies peccatorum sumis, & non potius diligis gratiam meritorum in justis. Eorumdem plane vitiorum te reum facis, propter quæ diligis proximum tuum. Prævaricator cognosceris illius præcepti, quo juberis odisse peccatorem, & iniquitatem ejus. Ergo dilige justum propter justitiam suam, & quo justior est, eo charior tibi sit. Naturaliter enim plus amamus id, quod melius est: Quanto magis supernaturaliter plus amemus id, quod secundum Deum, & gratiam ejus melius est?

## PUNCTUM TERTIUM.

JEsus præ cæteris Apostolis dilexit Joannem; unde in pace animam ejus jam senio confecti suscepit. Meruit hunc specialem amorem; quia dolores, & angustias mortis jam semel sub cruce stans toleravit. An sequeris charitatem JEsu? An adimples illud Ss. Patris tui: *Non unus plus ametur, quàm alius, nisi quem in bonis actibus invenerit meliorem?* Si alia de causa plus diligis, vitium familiaritatis incurris. Unde enim nascitur amor inordinatus, & nimia animorum conjunctio, quàm ex familiaritate? At prô! quàm infelices fructus gignit impia ista mater? Odia, dis-

diſſenſiones, ſcandala, mille ſuſpiciones, & perturbationes ſuſcitat. Hinc eſt, quòd Ss. Pater tam ſevere prohibeat, *ne quavis occaſione præſumat alter alterum defendere Monachum in Monaſterio, aut quaſi tueri.* Nullum igitur alia de cauſa magis dilige, quàm majorum meritorum gratia.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religioſe! omnes æqualiter diligis exceptis iis, qui in actibus bonis meliores ſunt? Petrus vidit diſcipulum illum, quem diligebat JEſus. An non ex acceptione Perſonarum unum plus altero diligis? Apud Deum non eſt perſonarum acceptio. An non ex familiaritate unum plus alio diligis? Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. Dole, quòd ſæpius contra præceptum charitatis fraternæ peccaveris. Propone

1. Omnes æqualiter diligere, niſi quos in actibus bonis inveneris meliores, & ideo
2. Neminem ex acceptione perſonarum,
3. Aut ex familiaritate plus amare.



## DIES XXVIII.
## IN FESTO SS. INNOCENTIUM.

### Quòd paſſio prædominans ſit mortificanda; quia eſt periculoſa, pernicioſa, & exitialis.

Abnegare ſemetipſum ſibi. Cap. 4. Inſtr. 10.

## PUNCTUM PRIMUM.

MErito Ss. Pater jubet, *abnegare ſemetipſum ſibi:* nam paſſio prædominans, ſi non mortificetur, eſt periculoſa. Exemplum cape ab Herode. Rex erat ambitione plenus; hinc cùm intellexiſſet ex Magis, Regem Judæorum natum eſſe, mox turbatus eſt. Et quanta exinde pericula non incurrit? Miſit illos in Bethlehem, ut reverſi renunciarent ſibi inventum Regem. Ad quid! non ut adoraret, ſed ut interficeret eum. Haud aliter & tua paſſio, quæ te præ cæteris infeſtat, tibi periculoſa eſt. Chriſtum in corde tuo enecat: animam tuam occidit, ſi eandem ſecutus fueris. Ex hac enim radice peccatum pullulat. Peccatum autem mortem invehit. Ideo Cain dicitur; appetitus tuus erit ſub te, tu dominaberis illi. Niſi enim continua impugnatione paſſio prædominans eradicetur, ſtatim in foribus aderit peccatum, & ſecus introitum delectationis mors poſita erit.

## PUNCTUM SECUNDUM.

REcte jubet Ss. Pater, *abnegare ſemetipſum ſibi;* nam paſſio prædominans, niſi mortificetur, perniciosa eſt. Vide, quot ſcelerum cauſa fuerit, atque damnorum ambitio Herodis. Videns, quòd illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valde; & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem & in om-

omnibus finibus ejus à bimatu, & infra, secundum tempus, quod exquisierat à Magis. Haud minora damna infert animæ tuæ tua passio prædominans. Ipsa enim causa est omnium peccatorum tuorum. Unde hanc si sustuleris, fontem cæteris obstruxisti. Hanc, quamdiu foveris, à cæteris vitiis quoque numquam immunis eris. Hinc prima pugna contra passionem, quæ te magìs infestat, assumenda est. Hac devicta semper infensior rursus extirpanda venit. Hunc ordinem pugnandi contra hostes animæ nostræ nos docuit Dominus; quando ait: non timebis eos; quoniam Deus tuus in medio tui est. Deus magnus, & terribilis consumet nationes has in conspectu tuo paulatim, atque per partes. Non poteris eas delere pariter, ne forte multiplicentur contra te bestiæ terræ. Dabitque eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo, & interficies eos, donec penitus deleantur. Nî ergo velis cum Herode in profundum peccatorum venire, abnega temetipsum.

## PUNCTUM TERTIUM.

Juste præcipit Ss. Pater noster, *abnegare semetipsum sibi*; nam passio prædominans, nisi mortificetur, exitialis est. Aspice exitum Herodis. In peccato suo mortuus est. Sub altare Dei enim auditæ sunt voces occisorum dicentium: quare non defendis sanguinem nostrum? Et acceperunt Divinum responsum? Adhuc sustinete modicum tempus,

pus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum. Haud alium exitum & tu habebis, si passionem dominantem secutus, malam ejusdem consuetudinem contraxeris. Qualis enim affectio non assiduitate duratur? Quantis, quod præ amaritudine prius exhorrebant, usu ipso in dulce conversum est? Audi justum, quid lamentetur super hujusmodi: quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt. Primum importabile tibi videbitur peccatum prædominantis passionis tuæ: processu temporis, si assuescas, non judicabis adeo grave, paulo post & leve senties, paulo post nec senties, paulo post etiam delectabit. Ita paulatim in cordis duritiam itur, & ex hac in damnationem perpetuam. O JEsule! per sanguinem Ss. Parvulorum vindica me ab hoste meo, à prædominante passione mea, ne in peccatis meis moriar.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religiose! abnegas passionem prædominantem ob ejus pericula? Concepit dolorem, & peperit iniquitatem. An abnegas passionem prædominantem ob ejus perniciem? Vir peccator adjiciet ad peccandum. An abnegas passionem prædominantem ob ejus exitium? Vultus Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. Dole, quód passionem tuam prædominantem post tot annos in schola mortificatio-

cationis consumptos nondum extirpaveris: Propone eandem penitus delere

1. Ob ejus pericula,
2. Ob ejus perniciem,
3. Ob ejus exitium.

## DIES XXIX.

## Christus natus annunciatur Pastoribus.

### De Divinis Judiciis in Pastoribus demonstratis.

Deum timeant. Cap. 72. v. 9.

### PUNCTUM PRIMUM.

PAstores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis, super gregem suum, & ecce Angelus Domini stetit juxta illos. Quibus se revelat Christus? Non ambitioso, & superbo Herodi, sed humilibus Pastoribus. Deus enim superbis suam gratiam denegat, humilibus autem dat gratiam. Time vero & contremisce, subtracta gratia tanquam mox casurus. Time; quia reliquit te custodia tua. Nec dubites in causa esse superbiam, etiamsi non appareat, etiamsi nihil tibi conscius sis. Quod enim tu nescis, scit Deus, & qui te judicat, ipse est, qui ob superbiam tuam occultam gratiam suam tibi subtrahit. Nam neque qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus

com-

commendat. Nunquid commendat te Deus, cùm gratia privat? Aut nunquid qui humilibus dat gratiam, aufferet datam? Ergo argumentum ſuperbiæ, privatio eſt gratiæ. Unde non minima eſt gratia, ſi ne ſuperbiamus ſubtrahitur cordis pax aut ſenſibilis gratia devotionis. Habes hujus rei evidens documentum de Apoſtolo, qui ſtimulos carnis ſuæ ſuſtinebat invitus, non quia extollebatur, ſed ne extolleretur. Sed ſive jam exiſtens, ſive nondum ſuperbia tamen ſemper erit in cauſa ſubtractæ, aut ſuſpenſæ qualiscunque demum gratiæ. Hinc *Deum timeas*, ùt hortatur Ss. Pater, ne te ùt ſuperbum Herodem gratia prætereat.

## PUNCTUM SECUNDUM.

ET claritas Dei circumfulſit illos, & timuerunt timore magno. Cui revelatur Chriſtus? Non prudentibus ſecundum carnem Phariſæis, ſed ſimplicibus Paſtoribus. Cum ſimplicibus quippe ſermocinatio ejus. Ibi Salvator lumen ſuum admirabile infundit, ubi ſimplicitas fidei corda purificat, & illuminatos reddit oculos cordis. Ubi enim oculus tuus lucidus fuerit, totum corpus lucidum erit. Hanc lucem habere nequeunt, qui duntaxat ſuæ rationi innituntur. Hac luce indigni ſunt, qui non niſi experimento ſenſuum credunt. Hac luce privantur, qui Divina Myſteria ſuperbe perſcrutari volunt. Tu *Deum timeas*, ut ſimpliciter cum Paſtoribus

bus credas, ne gratia Salvatoris, quæ omnibus hominibus apparuit tibi soli non appareat.

## PUNCTUM TERTIUM.


EVangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus est vobis hodie Salvator. Et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio. Cui se revelat Salvator? Non hominibus carnalibus, aut divitibus, sed vigilantibus, & pauperibus Pastoribus. Væ vobis divites, & carnales homines, qui habetis consolationem vestram, ut jam non mereamini habere cœlestem. Quàm multi enim nobiles secundum carnem hora illa in stratis mollibus quiescebant, & nemo eorum dignus habitus est, novam videre lucem, scire magnum illud gaudium, Angelos audire cantantes: gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Agnosce igitur, ô homo? quia qui in labore hominum non sunt, visitari ab Angelis non merentur. Agnosce, quàm placeat supernis civibus paupertas, & labor, cujus spiritualis intentio est; quando quidem & eos, qui pro victu corporis, corporali urgente necessitate laborant, suo dignantur alloquio, & alloquio tam felici. Nimirum humanam in eis agnoscunt ordinationem, qua constituit Deus, ut in sudore vultûs sui vescatur Adam pane suo. *Timeas ergo Deum*, ne per otium, & carnalem re pausationem amittas claritatem lu-

cis increatæ. O JEſu mi dulciſſime! illumina me, ut cognoſcam te, & me, & amem te ſemper ſuper me, & omnia ſolum; quia Deus meus es.

## PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religioſe! times divina judicia, & humilitatem amplecteris, ut gratiam Salvatoris obtineas? Humilibus dat gratiam. An times divina judicia, & ſimplicitatem amplecteris, ut gratiam Salvatoris obtineas? Benefacit Dominus bonis, & rectis corde. An times divina judicia, & laborem amplecteris, ut gratiam Salvatoris obtineas? In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Dole, quod timorem divinorum judiciorum non ſemper ante oculos habueris. Propone eadem expaveſcere, & ideo

1. Te humiliare,
2. Simplificare,
3. Laborare.



## DIES XXX.

### De Cantu Angelico, Gloria in excelſis Deo.

**Non nobis Domine, non nobis; ſed Nomini tuo da gloriam. Prolog. v. 23.**

Pun-

# PUNCTUM PRIMUM.

ET ſubito facta eſt multitudo militiæ cœleſtis exercitus laudantium Deum: gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Optima ſane partitio eſt, quod Deo gloriam, nobis autem pacem angeli annuncient. Ad hanc gloriam Deo tribuendam & Ss. Pater nos hortatur, cum ait: *non nobis Domine, non nobis, ſed Nomini tuo da gloriam.* Et merito. Origo fontium, & fluminum omnium ſicut mare eſt; ita virtutum & ſcientiarum Dominus eſt. Quis enim Dominus virtutum, niſi ipſe eſt Rex gloriæ? Sed & juxta Annæ canticum, idem ipſe Deus ſcientiarum Dominus eſt. Continentia carnis, cordis induſtria, voluntatis rectitudo ex illo fonte manant. Non ſolum autem, ſed & ſi quis callet ingenio, ſi quis nitet eloquio, ſi quis moribus placet, inde eſt. Inde ſcientiæ, inde ſapientiæ ſermo eſt. Theſauri ſiquidem ſapientiæ, & ſcientiæ ibi omnes abſconditi ſunt. Quid caſta conſilia, juſta judicia, ſancta deſideria, nonne fontis illius rivuli ſunt? Quod ſi copiæ aquarum ſecretis, ſubterraneisque recurſibus inceſſanter æquora repetunt, ut inde rurſus ad viſus, usuſque noſtros jugi, & infatigabili erumpant obſequio: cur non etiam ſpirituales rivi, ut arva mentium rigare non deſinant, proprio fonti gloriæ divinæ ſine fraude, & ſine intermiſſione reddantur? Pacem non habebit, qui glo-

riam Deo non tribuit. Zelatur enim Deus honorem ſuum.

## PUNCTUM SECUNDUM.

GLoria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Juſtiſſima angelorum iſta partitio eſt. Putas enim, tu habes aliquid, quod non accepiſti? Si ergo accepiſti, vide, ne non integre dona tua reſignes Deo, ejusque gloriæ deputes, & tibi inflectens aliquid de gloria, & honore ipſius, fraudis juſte arguaris, & fraudis in Deum. Si namque de aliquo te jactas, aut ex te tibi quicquam arrogas, fraudas Deum ſua gloria, ſuo honore. Et quomodo exinde cum Ss. Patre tuo ex Propheta dicere poteris; *non nobis Domine, non nobis; ſed Nomini tuo da gloriam;* Quid reſpondebis Apoſtolo præſcribenti, & dicenti; ſoli Deo honor, & gloria? Si nihilominus dicis, labiis quidem Deum honoras, ſed ex cordis ſententia temetipſum. Sed nunquid pacem habebis, ſi Deum ſua gloria defraudes: Quis reſtitit ei, & pacem habuit? Audies plane. Exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis? Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.

## PUNCTUM TERTIUM.

GLoria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis Non nova, ſed antiqua iſta angelorum partitio eſt. Joſeph, cùm domum, & omnia bona Ægyptii

ſui

ſui Domini ſibi credita ſciret, dominam non ignoravit exceptam, & ob hoc non acquievit contingere. Non eſt, inquit, ex omnibus bonis Domini mei, quod non in mea poteſtate ſit, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es. Mulierem noverat gloriam eſſe viri, & iniquum ſibi judicavit vice contraria inglorium facere eum, qui ſe fecerat glorioſum. Quid ergo? Homo zelat gloriam ſuam, & Deum audet velle fraudare de ſua quaſi non zelantem? ſed audi, quid dicat? gloriam meam alteri non dabo. Quid ergo dabis Domine, quid dabis nobis? Pacem, inquit, do vobis, pacem relinquo vobis. Sufficit mihi: gratanter ſuſcipio, quod relinquis, & relinquo, quod retines. Sic placet, ſic mea intereſſe non dubito. Abjuro gloriam prorſus, ne forte, ſi uſurpavero non conceſſum, perdam merito & oblatum. Pacem volo, pacem deſidero, & nihil amplius. Cui non ſufficit pax, non ſufficis tu. Tu es enim pax noſtra, qui feciſti utraque unum. Hoc mihi neceſſarium, hoc ſatis eſt, reconciliari tibi, reconciliari mihi. Nam ex quo poſuiſti me contrarium tibi, factus ſum etiam mihimetipſi gravis. Cautus ſum, ne ingratus ſim beneficio datæ pacis, nec ſacrilegus invaſor gloriæ tuæ. Tibi Domine! tibi gloria tua maneat illibata, mecum bene agitur, ſi pacem habuero. Omnes cogitationes, verba, & opera, ô JEſu parvule! reſonent ex corde, ore, & opere: *non nobis, Domine!*

*mine! non nobis; ſed Nomini tuo da gloriam,* ut pace tua fruar in æternum.

PUNCTUM QUARTUM.

AN ergo, ô Religioſe! ut pacem coram Deo reperias, gloriam illi tribuis; quia omnia bona ab eo recepiſti? Qui gloriatur, in Domino glorietur. An ad conſervandam pacem gloriam Deo tribuis, ne Deum ſua gloria defraudes? Abominatio Domini eſt omnis illuſor. An gloriam Deo tribuis ad fruendum pace ejus; quia zelatur gloriam ſuam? In igne zeli ſui devorabit omnem terram. Dole, quod gloriam Dei tibi uſurpando toties pacem amiſeris. Propone Deo gloriam in omnibus dare, ut pacem illius poſſideas;

1. Ne origini Deo tuo non omnia bona adſcribas;

2. Ne Deum ſua gloria defraudes;

3. Ne cogas Deum in te gloriam ſuam zelari.



DIES XXXI.

# Recollectio Menſtrua.

## De ultimo anni Die.

Propter emendationem malorum hujus dies vitæ nobis ad inducias relaxantur.
Prolog. §. 3. v. 28.

Pun-

## PUNCTUM PRIMUM.

MAxime hoc die ultimo anni te cum Ss. Patre tuo confer in desertum Sublacense. Forsan ultimus vitæ tuæ est. Quod si esset, quidnam optares te hoc anno, hoc mense fecisse? Cogita igitur, quomodo hoc mense præcipue obligationi tuæ erga Deum satisfeceris; An Neonatum Salvatorem secutus es in humilitate, asperitate vitæ, & contemptu mundi? Qui sequitur me, non ambulat in tenebris; sed habebit lumen vitæ. An studuisti divinam voluntatem adimplere per abnegationem propriæ voluntatis, per observantiam præceptorum Dei, & S. Regulæ, per patientiam in adversis? Non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me. An fide intellectum sanctificasti, voluntatem movisti, & cor virtutibus exornasti? Nonne anima mea subjecta erit Deo? An intimo gratitudinis affectu beneficia divina recogitasti? Gratias agere debemus semper Deo. An Deo gloriam in omnibus tribuisti, ut pacem coram eo reperires? Gloriam meam alteri non dabo. An divina judicia in Pastoribus demonstrata expavisti? Cum simplicibus sermocinatio ejus. An odisti peccatum? Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi. An lacrymas fudisti ad purificandam animam? Paulus Domino serviebat cum omni humilitate, & lachrymis. An mox post lapsum surrexisti, & at-

tendisti tibi soli, ne rursus peccares? Nonne anima plus est, quam esca? Prô! jam iterum transiit annus, mensis. Jam hoc anno, mense morti proximior sum. Ubi pœnitentia mea? Ubi emendatio mea? Ubi profectus meus? Dole anima mea, quod obligationi tuæ erga Deum hoc anno, hoc mense minime satisfeceris. Propone saltem in futuro te emendare. Ad hoc serio tecum pensa illud Ss. Patris tui: *Propter emendationem malorum hujus dies vitæ nobis ad inducias relaxantur.*

## PUNCTUM SECUNDUM.

HOdie ultimus dies anni, & mensis est, & forsan ille, in quo respondebo Judici meo de singulis momentis ejus. Sed quomodo, aut quid respondebo? Nunquid gratiis in Religione acceptis respondi? An obligationi meæ erga Religionem satisfeci? An non, quia vota mea non perfeci, violavi; Deum irrisi? Ab eo se damnandum sciat, quem irridet. An per paupertatem ad veras divitias pervenire studui? O quam dives fuit pauper ille Lazarus, qui post mortem suam meruit in sinu Abrahæ requiescere! an obedivi Superiori discolo in rebus duris? Qui vos audit, me audit. An amavi cellam? Solitudinem amare debet, quisquis Deo vivere cupit. An non sine præparatione, distracte, & sine affectu psalli? Maledictus, qui facit opus Dei negligenter.

An

An agnovi utilitatem, neceſſitatem correptionum, & ideo eas deſideravi? Melior eſt manifeſta correptio,quam amor abſconditus. Prô! rurſus tranſiit annus, tranſiit menſis. Nunc iſto anno,iſto menſe propinquior ſum duriſſimo illi judicio. Fors hac die adhuc audiam: jam non poteris villicare. Redde rationem villicationis tuæ! ah! quam reddam! Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam,& ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. Agnoſco enim iniquitatem meam; quia non ſatisfeci obligationi meæ erga religionem. Agnoſco, quia cum tempore tranſeo,& eo in domum æternitatis meæ. Ah! ſaltem hac vice adhuc concede mihi ſpatium pœnitentiæ. Propono ſequenti menſe, & anno me emendare. In hunc finem ſemper cogitabo illud Ss. Patris mei: *Propter emendationem malorum hujus dies vitæ nobis ad inducias relaxantur.*

## PUNCTUM TERTIUM.

HOdie ultimus hujus anni & menſis dies eſt, & forſan ille, in quo Remunerator meus laborem vitæ meæ, & charitatem meam remuneraturus eſt. An mercedem ſecure exſpecto? An charitatem habeo? An ordinabiliter, & ſociabiliter, ac humiliter in congregatione vixi? Ecce quam bonum, &

& quam jucundum habitare Fratres in unum. An inimicis ignovi, dolentes consolatus sum. Fratres corde, ore, opere dilexi? Qui non diligit, manet in morte. An solum propter merita unum altero plus dilexi? Apud Deum non est personarum acceptio. Sic ergo denuo annus, mensis abiit, & ego nihil, aut parum pro cœlo egi, quia obligationi charitatis erga confratres meos non satisfeci. O JEsu bone! tu jam clamas ad me; ecce merces mea mecum est! & quæ merces? Utique quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Ah! si metieris mihi eadem mensurâ gloriam, quâ charitatem confratribus meis emensus sum; quàm timeo, ne vel jam clausa mihi sit janua cœli, vel exigua mihi merces remaneat. Eja misericordissime JEsu! indulge mihi adhuc spatium emendationis. Nunc primum vere agnosco, quodvis temporis momentum tantum valere, quantum cœlum. Nullum deinceps sine charitate, sine merito transibit. Ideo semper revolvam illud Ss. Patris mei: *Propter emendationem malorum hujus dies vitæ ad inducias nobis relaxantur.*

## PUNCTUM QUARTUM.

HOdie ultimus hujus anni, & mensis dies est, & forsan ille, in quo Paterfamilias fru-

fructum ultimo expetet, poſtquam patienter tot annos arborem infructuoſam in terra Sanctorum ſuſtinuit. Quod ſi nullum repererit, nonne exſcindet eam, & in ignem mittet? Qualem ergo fructum retuli hoc ultimo anno,menſe. An paſſiones malas, & concupiſcentias extirpavi? Vir peccator adjiciet ad peccandum. An linguam tribus ſeris munivi? In multiloquio non effugietur peccatum. An non ſæpe ad inferiora reverſus ſum? Lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. An me verè ad omnia indignum, & operarium malum credidi? Qui ſe humiliat,exaltabitur. An Speculum bonorum operum mundo factus ſum? Vos eſtis lux mundi. En! tranſiit annus, tranſiit menſis. Nunquid ut illi, quin in inferno ſunt,gemere debeo,& ululare? Ergo erravimus a via veritatis,& juſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit ſuperbia? Aut divitiarum jactantia quid contulit? Tranſierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuncius percurrens, aut tanquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum; diviſus aër continuo in ſe recluſus eſt,ut ignoretur tranſitus illius: Sic & nos nati continuo deſinimus eſſe: & virtutis quidem nullum ſignum valuimus

oſtendere: in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus. O Domiue JEſu! concede mihi per ſanctam Nativitatem tuam ſpatium pœnitentiæ, ut obligationi erga meipſum ſatisfacere poſſim, ne ita æternum gemere cogar. Ad hoc cogitabo illud SS. Patris mei: *Propter emendationem malorum hujus dies vitæ ad inducias nobis relaxantur.*

Ah! parce mihi in æternum.
Hic ſatisfaciam.

# FINIS.





INDEX



# INDEX P. IV.

## SPIRITUS SS. PATRIS N. BENEDICTI

Seu

## Meditationum ſupra Regulam, & Vitam ejuſdem Almi Patris Noſtri.

### OCTOBER.



XI.

## NOVEMBER.



II. In

## DECEMBER.

XX.



Anne.

Anne

C F.





